

D. 6. 10


Aut:

27. B. 5.

G. & L.

V. 3. 237.

+



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.



Hoc in Volumine continentur:

1. Attila Hunnorum Rex Auct: Auct: 1679.
2. Salpius de laudibus veterum Germanorum Willelmoq. 1109.
3. Extractio Imperii Romani Occidentalis
4. Heberlin de Orisibus ex electione Lotharii Saxonis Imp: Germaniam turbantib.
5. De usu Diplomatum Conrad. I. Germaniae Regis
6. Satura positionum historicarum Ludovici I. res complectens.
7. De usu et praesentia Actorum pacis Westphalicae.
8. Heberlin. Familia Augusta Wilhelmi conquestoris Regis Angliae.
9. Illustres ex Britannica Historia controversiae M. Schaefflii. Argentorati
10. Cause amissae majestatis Mariae Stuartae Reginae
11. De sacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus M. Schaefflii.
12. Speculum boni Principis in Henrico M. Franciae et Navarrae Regis.
13. De factu Regis Franciae, quo stramis laborantes restituantur. Diss: prior
14. Eisdem materiae Disputatio posterior
15. Audethe Augusta Franciae eloquium historicum
16. Arceboldus legatus pontificius evangelicae in Francia reformationis occasio.
17. Theodoricus Ostrogothus Italiae Rex
18. Infelix puerpera Johannes VIII Pontifex.
19. Origo vera traditionis falsae de Joanna Kapissa. Henmann
20. Num Pontifex Romanus episcopis duntaxat, usua pallii concesserit?
21. De mole Floriani Lodii Fugol- Burg.
22. Koehler de fide et auctoritate Monachi Weingartensis in Genere Welfici Veritate et Dignitate.
23. De Brunsvico-Luneburgica aliquot Principibus cal.
24. De Hungarivatu Norimbergensi Disputatio historica
25. Origo domus Saxonicae e primoribus Veteris Germaniae

26. De origine Ordinis aurei Velleris
27. De auspicio Regis Stephani I. Hungarorum apostoli.
28. De Equitibus et equestribus ordinibus
29. De Ordine Elephantino.
30. De subscriptione atq; signatura XII. Articulorum preliminarium de a. 17
31. De iis que Iustinianus Imp: in prooemio Institutionum imperite Expressit
32. De iure Iustiniano a Lothario Imp: in Germaniam minime introi
33. De compensatione ducibus Brunsvici et Lunenburgi facta.
34. De iteratis Imperatorum coronationibus Germanicis.
35. De prima Abbatijs Suedlinburgensi.
36. De Mathilde Abbatijs Suedlinburgensi aliquando Vicaria Imperii.
37. Bellum praeliumq; de Falinis Castris inter et Hermundurios
38. Prudentia politica a. L. Junio Bruto Consule edita Specimina
39. Historia Comitatus Teichobaut de Kleid.
40. Historiae ad Historiam Locnobii Wolkenbucicario pertinentes
41. Memorabilia quaedam Augustana
42. De Theodorico Bazicio episcopo Genere et Patria
43. De Livonia
44. Commentaria politica rerum Halensium s. R. A. libere verbis.
45. Historia antiqua lib: et imper: civil: Norimbergae
46. Origines Silesiorum nobis Siquibic

4 24
DE
BVRGGRAFIATV
NORIMBERGENSI

DISSERTATIO HISTORICA

PRIMVM PRO LOCO

IN

AMPLISSIMA FACVLTATE PHILO-
SOPHICA OBTINENDO

PROPOSITA

A

FRIDERICO VILELMO
STVBNER A. M.

LIPS. D. XI. OCTOBRIS cl^o Is cc XXX.

STANNO BREITKOPFIANO. 1730

DE
BARGRAFIATU
NORIMBERGENSI

DISSERTATIO HISTORICA

PRIMUM PRO LOCO

AMPLISSIMA FACULTATE PHILO-
SOPHICA OBTINENDO

PROPOSITA

FRIDERICO WILHELMO
STÄUBER A. M.

MDCCCLXXII OCTOBRE

ALBINO WILHELMO



SERENISSIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.
GEORGIO. FRIDERICO.
CAROLO.

MARGGRAFIO. BRANDENB. BORVSS.
MAGDEBURG. STETIN. POMERAN.
CASSVB. VANDAL. MEGAPOL. ET.
CROSS. DVCI.

BVRGGRAFIO. NORIMBERGENSI.
PRINCIPI. HALBERST. MIND. CAMIN.
VAND. SVERIN. ET. RAZEBVRG. COMITI.
HOHENZOLL. AC. TERR. ROSTOCH. ET
STARGARD. DOMINO.

HAS. PAGINAS. SACRAS. ESSE.

IVRET.

FAVSTA. QVAEVIS. DEVOTISSIME.

PRECATVS.

A V C T O R .

PRAESES
PEREXIMIO DOCTISSIMOQVE
RESPONDENTI

S. P. D.

Ex quo tempore, AMICE SVAVISSIME, ad nos non leui linguarum artiumque bonarum apparatu accessisti, ob ingenii tui egregii ornamenta, & indolis doctrinae quaeuis capacis praestantiam, te penitus amare coepi, & omnia, quae a me proficisci poterunt, lubens contuli, vt tua studia literarum academica nouis furculis laetissime progerminarent, atque ex voto optimorum Parentum blandis perennibusque floribus vigerent. Valde auxit meam erga te beneuolentiam, & propensam ad promouendos laudabiles conatus tuos curam confociatio doctrinarum sapientiae & iurisscientiae cum studio historiarum, salubri consilio a te suscepta. Fuisi institutionum mearum historiarum auditor asseclatorque perpetuus & praecipuus, & satis superque comprobasti edita docta disquisitione. *vrum Philippus, magnanimus, Landgrauus Hassiae, cavillatione vnus literulae in reconciliatione cum Imp. Carolo V. commissa captus fuerit*, quam tenacissimus sis meae disciplinae. Inprimis vero in cognoscenda meo auspicio ductuque historia augustissimae Domus Brunsvicensis & Luneburgicae, bono cui tam necessaria & proficua, omnem posuisti curam. Qua propter cum in enucleando *Articulo XIII. I. P. O.* de compensatione Brunsvico-Luneburgica defudarem, atque ex te intelligerem, te non velle, ex hac academia sine specimine publice edendo discedere, & inprimis flagrare cupiditate pernoscendi sinceram & perfectam complexionem huius negotii, tam ardui & intricati,

*

non

non potui non tibi, pro tua in patriam pietate, hoc graue & ad
dissertationem academicam condignum argumentum commendare
& proinde te, ad hanc operam omnino idoneum & accommoda-
tum, in partem horum laborum, periclitandi ingenii gratia, ad-
fiscere.

Dum vero dicta illa omnia explicataque attente respicio,
animaduerto *segmentum XIII. Art. XIII.* adhuc postulare declara-
tionem, in accelerando dissertationis nostrae sine, abrupte praeter-
missam. Ibi promittitur *collatio duarum praebendarum, in episco-
patu Strasburgensi primo vacaturarum, duobus AVGVSTI, Ducis,
filiis natu minoribus, ANTONIO VLRICO & FERDINAN-
DO ALBERTO, pro renuntiatione eius praetensionum suarum,
quas in vnum alterumque canonicatum antehac habuit vel habere
poterat. ANTONIVM VLRICVM, Principem, canonicum, immo
& Coadiutorem Halberstadiensem fuisse ex §. IV. Diss. p. 8.* iam
satis constat, fratrem vero eius FERDINANDVM ALBERTVM
in pari dignitate ecclesiastica eo tempore constitutum fuisse, nulli-
bi reperio. Ipse in edita a se in castro Beuerano A. MDCLXXVIII.
in 4to vitae suae descriptione, sub titulo: *Wunderliche Begebnissen
und wunderlicher Zustand in dieser wunderlichen verkehrten Welt
durch den in der fruchbringeaden Gesellschaft so genannten WUN-
DERLICHEN in Fruchbringen,* plane nullam mentionem facit
collati in se Canonicatus in aliqua ecclesia Episcopali. Ex mea ergo
coniectura compensatio ad eum alias immerentem fauore Sueco-
rum eam ob causam extensa fuit, ne Domui Brunsvico-Lunenburgicae
vlla ratio conquerendi superesset de satisfactione aliorum sibi de-
trimentosa. Pacificatores autem prospexerunt indemnitati horum
Principum iisdem destinatis canonicatibus potissimum Argentora-
tensibus, propterea quod Imp. Ferdinandus II. A. MDCXXVII.
d. XIII Martii octo canonicatus huius ecclesiae cathedralis, ab Evan-
gelicae religionis additis Principibus & Comitibus, ex transactioni-
bus de A. MDCIV. & XXVII. cum collegis pontificiis, per spatium
XXII annorum possidendos, ante terminum effluxum, iis intem-
pestiuo rigore ademerat, vid. Pacta in LVNIG. R. A. T. V. p. 504.
n. CLXXX. VIII. & T. XVI. p. 91. n. LXXXIII. & Instrumentum parti-
tionis de A. MDCXXVII. in de MEIERN A. P. W. T. V. p. 232.

Illi vero harum dignitatum sacrarum sibi debitam restitutionem vehementer. efflagitarunt A. MDCXLV. & XLVII. vid. *A. P. T. II. p. 23. & T. V. p. 231.* atque etiam in *Articulo V. §. 23. I. P. O.* feliciter obtinuerunt. Cauillationes Buckischianas in *Obscruat. XXXIX. p. 175. in I. P. O.* de hac redintegratione Canonicorum Argentoratensium ex vtraque religione solide confutauit HENNINGES in *specimine II. Meditat. ad I. P. p. 263.* Hos duos canonicatus Ducis Augusti filius concessos Catholici aequivalenti Luneburgico decerpere cupiebant, aut saltem eosdem obstringere, vt catholicos ritus ex statutis capituli suscipere tenerentur, sed Euangelicis repugnantibus haec postulata irrita fuisse, refert PVENDORFF. *rer. Suecic. Lib. XIX. §. 219.* Duces Guelpherbytani post perfide interceptam a Francis Argentinam valde conquesti sunt, debitum suis inter Canonicos locum in hac mutatione rerum decreto camerae Britaccensis interuersum, & inter tractatus pacis Ryswicensis A. MDCXCVII. d. 4. Nov. exhibita mediatoribus illius solenni praestatione restitutionem eorum, sed frustra, petierunt.

Habeo adhuc quaedam, CARISSIME PLESKEN, quae Te scire velim. PVENDORFFIVS docet *l. c. §. 15.* Wolfgangum a Thumshirn, legatum Altenburgicum, autorem & suaforem alternatiuae successiois in praesulatu Osnabrugensi fuisse, inter Euangelicos & Pontificios introducendae. Huius prudentissimi viri vitam & merita nuper condigne celebrauit Cl. IO. HENRICVS STVSS Rector Gymnasia Gorhani peculiari commentatione.

Caeterum moneo, Patrem Henrici Langenbeck, Iohannem in *§. III. p. 4.* a nobis appellatum fuisse *Neocorum* Nicolaitanum, & quidem significatione huius nominis honorificentiori, & antiquitati Graecae conformi, qua denotatur Curator & Praepositus templi, quo titulo olim gloriati sunt integri populi, & inclytae vrbes in numismatum suorum inscriptionibus, quas illustrarunt Spanhemius, Norisus, Liebius, Froelich &c. cum eruditus commentarius de dignitate & potestate huius muneris. In vernacula nostra vocatur ille Iohannes: *Ein Leichnami-Geschworne* FABRICIO in *memor. Hamb. Vol. VI. p. 510. in elogio Langermanni*, talis Latine dicitur: *Presbyter Ecclesiae.* Lubentes fate-

mur,

mur, nos imperitiores esse dignitatum ecclesiasticarum & ciuicorum Hamburgensium. Nolumus tamen intelligere per Neocorum vulgarem aedituum.

Perperam autem dicitur *p. 6.* a nobis fuisse Henricum Langenbeck conditorem bibliothecae in usum venerabilis Ministerii Cellensis, indicauit nobis Bernh. Henr. COBERG, Archidiaconus quondam Cellensis, in *Praefatione Catalogi huius Bibliothecae ibidem A. MDCL. in 8.* editi, qui tradit *p. 5.* eandem fuisse fundatam ab Ernesto, Duce, filio Wilhelmi jun. D. affertque *p. 7.* inscriptionem, qua docemur, curam in ordinanda hac bibliotheca A. MDCLVI. magnifico huic Cancellario tantum attribuendam esse.

Non tenebo te, doctissime & amicissime PLESKEN, pluribus, sed potius tibi apprecor propitios vales genios coelestes in itinere tuo Lipsiaco. Bonis tuis initiis ibi meliores quotidie succedant exitus. Prospera fortuna semper sequatur tuam honestatem sedulitatem, ac integros & modestos mores. Impleas non modo, verum etiam superes expectationem summe reuerendi PATRIS tui, Theologi de ecclesia euangelica optime meriti, in continuo tramite studiorum & virtutis feliciter absoluendo, redeasque in patriam ad optimos fructus diligentiae & probitatis tuae largo cumulo capiendos. Ego in te, quamuis absentem, amando & fouendo augebo potius semper, quam vnquam imminuam, studium meum. Vale. Scriptum d. XII. Nov. A. clo lxxcl.

DOCTISSIMO DISSERTATIONIS
RESPONDENTI
DN. PETRO PLESKEN
S. P. D.
SAM. CHRISTIAN. HOLLMANN
P. P. O.

Non petis, MI PLESKENI, quod iure TVO, et pro ea, quae TECVM mihi intercedit, amicitia, postulare a me poteras. Tanta TVA est, quam cum reliquis animi dotibus peregregiis feliciter coniungis, modestia. Neque meo tamen propterea officio deesse mihi licet, neque hanc adeo diu expectatam praetermittere occasionem, qua VENERANDO TVO PARENTI, quod priuatis equidem literis iam saepius feci, filium, Paternarum Virtutum adeo aemulum, publice etiam gratulari; TIBI vero, MI PLESKENI, illum etiam declarare animum, TVI studiosissimum, TIBIQUE amicissimum, queam, quo ab eo statim tempore TE complexus sum, quo noscere TE propius coeperam. Quamnam magis vero commodam vel sperare, vel expectare, occasionem poteram, quam illam ipsam, qua eruditionis, TVA TIBI hac in academia partae diligentia, publicum iam edis specimen? quippe quod non minori animi praesentia, non minori
oris

oris facundia, TE defensurum confido, quam aliorum
sententias oppugnantem, non absque tacito volupta-
tis sensu, aliquoties TE publice audiui. Quum in-
exhaustum ergo TVVM sciendi studium, magnorum-
que, qui LIPSIENSEM academiam hodie ornant,
virorum fama, finito studiorum TVORVM apud nos
curriculo, eo TE iam rapiant, vt ex Ipsorum etiam
ore novos doctrinae thesauros colligas; felicissimum
iter, neque minus felicem ad TVOS reditum, eodem
illo animo TIBI apprecor, quo & VENERANDOS
PARENTES TVOS, quoad vixero, colam, Tuam
verò, tot egregiis virtutibus suffultam, amicitiam
enixe porro mereri studebo. Vale, & amicos Lipsienses
simul valere iube. Scribebam in Academia Georgia-
Augusta d. XIII, Nov, MDCCL.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

M. IOANNES IACOBVS PLITT.

Vix ac ne vix quidem exprimere possum, AMICE AESTVMATISSIME, quantas felicitatis meae perceperim accessiones, ex quo mihi licuit esse adeo felici, vt amicitia TVA & humanissima consuetudine, quibus nil antiquius habeo, vti fruique potuerim. Tantum abest, vt credam, hocce meum iudicium ab vilo veritatum iusto aestimatore erroris accusari posse, vt potius non dubitem, quin optimus quisque firmissimis idem inniti rationibus mecum sit existimaturus. Si enim verum est, quod sane verissimum, Patris Romanae eloquentiae Cicronis * essatum, in amicitia animi tranquillitatem & iucunditatem reperiri, ac sine amicitia vitam beatam esse non posse, verum quoque est, quod modo posui. Ideo etiam hoc ad TEDandarum litterarum consilium non tam a consuetudine recepta, quam potius ex amicitia, quam sancte adhuc coluit mutuisque officiis confirmavit nostrum vterque, profiscitur. Dum animum igitur inducis cathedram conscendendi academicam, non possum non, quin TIBI monumentum studiorum academicorum posituro publicum publice etiam acclamem. Gratulor hinc TIBI beneficia, quae Deo O. M. accepta refers,
bene

* c. 22. dialog. de amicitia.

bene multa; excellens nimirum ad litteras ingenium diligentissime adhuc excultum, ac mentem eximie animatam, doctrinaeque solidiori morum suauitatem felicissimo successu iungentem. Gratulor PARENTI TVO SVMME REVERENDO, PATRONO MEO OBSERVANTISSIME, quoad vita durat, COLENDO, quod Ipfi eiusmodi in TE contigerit filius, quem ne fingere quidem ac mente concipere possit meliorem. Gratulor denique orbi erudito, quod ciuem in TE inuenerit, quem ipsi vtilissimum fore, non spero solum, sed certissime iam praesagio. Age ergo, AMICE HONORATISSIME, res TVAS in posterum, vti iam incepisti, e re litterarum, quibus cupio, feliciter. Magna inde ad me redundabit voluptas, quae semper augebitur, si eum amare pergis, qui TE amore prosequitur tenerrimo, & hanc quoque ob rationem Deum etiam atque etiam rogat, vt coeptis TVIS in ipsius honorem tendentibus velit benedicere, & voluptatem inde sperandam propriam TIBI relinquere atque perpetuam, donec emensus hoc vitae spatium summa illa ac aeterna perfruaris beatitudine. Vale mihi que faue. Dabam Cassellis d. IX. Nov. A. O. R. MDCCL.

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

PETRO PLESKENIO

FAVORI ATQVE AMICO LONGE

AESTIVATISSIMO

S. P. D.

IOANNES HENRICVS STEFFENS

LYCEI CELL. CORRECT. ET SOCIETAT. TEYTON,
GOETTING. MEMBRVM.

Iam vero vides, PLESKENI OPTIME, quam vero
sit inimicum illud vatis:

Omnibus hoc vitium est Cantoribus, inter amicos
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.

Honorem praefari debuisset Horatius. Sit enim
venia dictis. Olim fortasse sic fuit, hodie nequa
quam. Quodsi fardus ille Tigellius prae se tulit
istum naetium; neque propterea tamen cadit in omnes
canendi necessitati nonnunquam vacantes. Ego sal-
tem excipiendus mihi videor. Nec iniuria.

TVA enim benevolentia insigni, TVISQVE in
me officiis mirifice incensus, iam quidem tacere ae-
que indignum reputo nostra amicitia, quam minus
verecunde in laudes TVAS excurrere. Me praecone
non indiges, alioquin quam plurima extarent virtu-
um TVARVM exempla. Iniussus igitur desistam,
* * *
fieri

fieri non potest, quin TVI cantandi initium facere nondum licuit mihi; rogarus autem TVA causa ad raum usque, si non canere, dicere tamen mallequam ad Cantoris notati transire morositate. Salva res mea est. Nec TV propterea tamen male de me iudicabis, sed, velim, quam optime. Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine coniunctiores TECUM esse, quam me, plurimos: amore, officio studio, neminem.

Quibus vt satisfiat, nil quicquam minus mihi tam deest, quam voluntas.

Quamobrem facere non potui, quin TIBI in arenam iam descendenti ac publice eruditionem probanti alta voce congratuler plausum merito expectandum. Imo vero gratulor TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, vereque gratulor, fausta quaevis ominando. Nec est, quod dubitem, summis TE propediem auctum honoribus optimis auspiciis expleturum esse spem, in quam maximam verissimamque IPSE adduxisti & patriam, & PARENTES, & eruditorum orbem, & me denique TVI studiosissimum observantissimumque. Vale. Scr. Cellis Luneb. d. VIII. Novembris MDCCL.

VIRO PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO

PETRO PLESKEN

S. P. D.

I. D. A. MÜNTER.

LYCEI CELLENSIS SVB-CONRECTOR.

Quum permultos esse intelligo, qui TIBI de disputatione, qua eximia praeclari ingenii, diligentiae atque eruditionis TVAE documenta publice dedisti, congratulantur, quid ego nunc potissimum tacerem, neque de TVA laude cum aliis pleno ore praedicarem, a quo nullum TIBI unquam amoris, nullum studii, nullum denique humanitatis officium defuit. Etsi vero meum de TE praeconium tantum non habet ponderis, ut eo vel minimum partae TVAE existimationi addi possit; in honorificis tamen summorum Virorum de TE iudiciis exsultare mihi atque triumphare liceat. Persuasum enim TIBI habeas, immo hoc certo scire TE cupio, quae cunque TIBI grata & iucunda accidunt, ita me accipere, acsi mihimet ipsi contingant. Non autem adeo recens ac inusitatum TIBI est hoc genus honoris, ut eius novitate adductus meos TIBI plausus impertiar. Memini adhuc equidem, coram enim videbam atque audiebam, quanti TE omnes illi faciebant, quantaque erat omnium de TE opinio, quorum auctoritate nostra quondam studia Coettingae regebantur, & quorum memoriam semper pie inuiolateque seruabo. Etenim cum eos omnes morum elegantia TVA, quae summa est, ingenii suavitate ac indefesso litterarum studio TIBI maxime deuincires; nul-

lam

lam sane egregiae suae erga TE voluntatis & benevolentiae tam publice quam priuatim declarandae occasionem praetermiserunt. Quae omnia TIBI ornamenta eo magis debentur, cum tam praeclara eruditionis TVAE nobis sint indicia, in quibus praecipuum locum tenet dissertatio illa epistolaris EXCELLENTISSIMO KOELERO nuper scripta, quam, qui legunt, omnes TANTI VIRI discipulo dignissimam esse magna voluntate constituentur. His igitur utere atque frueri meritorum TVORVM praemiis ad feliciter, quem TIBI proposuisti, scientiarum campum percurrendum. Magnum, fateor, onus, sed dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque TVAE contendas. Quod dum facis, reipublicae eris emolumento, patriae decori & FAMILIAE TVAE ornamento. Quid mula? cuncta breui expediam. Sis, quod summum puto, PARENTIS TVI simillimus. Quod igitur adhuc reliquum est, id omne cum Horatio ita complector

Haec TIBI dictabam - - - - -

Excepto, quod non simul esses, caetera laetus.

Sale. Scribebam Cellis Luneb. d. VIIII. Nov. a. MDCCL.

Q. B. V.

DE BVRGGRAFIATV
NORIMBERGENSI,
DISSERTATIO PRIMA.



Anquam, si quis opus aliquod aggreditur, quandam illius descriptionem, designationemque animo effingit; effectam calamo delineat; delineatam in eo, quod molitus est, perficiendo sequitur: sic in limine huius descriptionis sentio finem scribendi mihi propositum indicandum esse, occasionem huius laboris suscipiendam, instituti rationem explicandam, omnem denique operam in suas distributiones partiendam. De occasione satis dixero, ubi monuero, me studio cognoscendi historiam patriae meae in praesens argumentum delatum esse. Obsolevit iam pridem mos iste, quo remotissimorum quorumque populorum facta intime scrutari, patrum res gestas vel ignorare plane, vel saltem non nisi leviter cognoscere, pulchrum visum fuit. Satis eum falsis verbis castigarunt viri prudentissimi, quos intensior stimulavit ardor, Germanorum gesta rimandi, quam Assyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Parthorum, Armeniorum, Numidarum stupenda, sed fabulosa facta excutiendi. Satis eum retuderunt iidem suis exemplis, ut praeter haec nulla alia mihi excusatione opus sit, qua mei laboris aequitatem tuear. His incitamentis impulsus haud sane segni impetu ferebar in penetranda penitus monumenta historiarum, quibus patria illustratur. Sed, quod impense dolui, ardor iste meus qualiscunque mirum in modum retardatus, imminutus, ac tantum non fractus fuit, densa illa caligine, spissis tenebris, quibus involuta deprehendi cum alia multa, tum praecipue ea, quae ad Burg-

A

grafia-

grafiatum Norimbergensem pertinent. Sane quidem multi extant scriptores de Burggrafiato Norico, nec opus foret, ut numerum illorum & ego auferem. Satis illustratae forent res patriae, ubi multitudo scriptorum lucem pareret, aut numerus auctorum, qui eadem mutatis licet verbis, non tamen adiunctis probationibus, repetunt, claritatem narrationibus afferret. Animadverti quasdam maximi momenti res ab historicis istis omnibus omiffas, quasdam traditas quidem, sed insigni fabularum cumulo obrutas, alias plane ex ingenio fictas, & fundamentum omni destitutas, alias veras quidem, sed admixtis falsitatibus ita adulteratas, ut quid verum, quid falsum in illis, discernere vel ipsi Argo non liceret. Hinc probatissimae notae scriptoribus aliqui errores velut inscientibus & invitis subreperunt, quos evitare non potuisse magis, quam noluisse censendi sunt. Non inania me dare verba, nec vana loqui, sequens, quam molior, tractatio docebit. Ne vero cuiquam videar tantundem fidei mihi conciliare velle, quantum aliis detraxerim, mentionem faciam quorundam errorum omnibus ac singulis scriptoribus de Burggrafiato communium. Fuisse Burggrafiatum Norimbergensem dignitatem, quam appellant, ambulatoriam; migrasse ex una familia in alteram; concessam esse prius Comitibus de Bogen & Cham haereditario; extincta horum familia devolutam demum in Comites de Zollern; his ab initio ad vitam solum creditam, ad eum modum, quo officialibus munia ministerialia conceduntur; denique sub Rudolpho Imperatore tandem haereditariam factam huic familiae, omnes concedunt, docent, imo contendunt: nec ego novi quemquam, qui si non omnes, saltem aliquas modo recensitarum opinionum teneat. Nihilo tamen secius sancta fide in me suscipio, me infra singularum harum sententiarum oppositas luce meridiana clariores demonstraturum. Ex dictis conici aliquantum potest, quis mihi scopus praefixus sit. Medelam his naevis afferre, errores corrigere, dissensiones conciliare, pugnancia tollere, animus est. Etenim praeter ante enumerata incommoda maximus quoque inter scriptores dissensus obtinet. Nec adhuc dum inter eos convenit, qualis ista fuerit dignitas, cuius historiam texunt? Principalisne, an nuda ministerialis?

ferialis? Sunt, qui omni nisu id agunt, ut evincant, hanc dignitatem mere officialem fuisse. Alii contra principalem eam fuisse tradunt quidem, et asserunt, sed rem omnem non nisi leviter, et veluti in transitu solum, attingunt. Nemo vero ad hunc usque diem ex instituto id laboris sibi sumsit, ut data quasi opera, dignitatem principalem Burggrafiorum Norimbergenfium ex historiarum monumentis fide dignis erueret et demonstraret. Igitur hoc mihi, quasi post messem, relictum est spicilegium. Eo igitur tendent ea omnia, quae proferam, ut confirmem, Burggrafios Noricos primis quibusque temporibus principes imperii, non imperatoris ministeriales fuisse. Ita tamen in hoc instituto versabor, ut lubens sciensque praeteream, non solum ea, quae nullo nituntur fundamento, sed et ea, quae ab aliis iam sufficienter probata sunt. Haec tamen, si quando ad scopum meum apprime facere videntur, ne repetere cogar, digito velut indice indicabo, ut constet, uade eorum probationes, si desiderentur, petendae sint. Ceterum quicquid praeter monumentorum et testium fidem asseruero, id ipse reiectum velim. Fontes probationum mearum semper monstrabo: et auctorum verba, quibus mea nititur relatio, recitabo. Sed amplior est materies, quam ut angustiis illis cancellis coerceri commode possit, quibus usus specimina academica circumscribit. Crevit sub manibus labor, & quem vix mediocri dissertationi satis futurum ante rebar, eidem aegre duarum dissertationum limites suffecturos praevidео. Discerpendum itaque est, me quasi invito, quod continuo filo connectere satius forsitan fuisset. Necessitati parendum, et quia simul omnia tradi non possunt, distractioni illi ac disjunctioni materiarum incommodae quidem, vix tamen evitabili succurrendum est commoda quadam partitione. Circumspicienti undiquaque commodior alia se non obtulit, quam ut prima dissertatione complecterer ea omnia, quae principalem dignitatem Burggrafiorum Norimbergenfium non adeo prope attingunt, omitti tamen non possunt, nisi mutilam tractationem quaesiveris: altera concluderem argumenta illa, quibus dignitas principalis his Burggrafis vindicatur.

§. 2. Prima igitur et praefens tractatio in originem
A 2 Burg-

Burggrafiorum Norimbergenſium inquiret curatius. Aera, tempusque, cui dignitas iſta originem debet, conſtituetur tanta diligentia, quantam adeo lubricum argumentum capit. Primus Burggrafiorum, plerisque adhuc dum ignotus, in lucem proferetur, et teſtimoniis, documentisque ſtabilietur. Denique evincetur, quovis tempore dignitatem Burggrafiorum Norimbergenſium adhaeſiſſe familiae Zolleranae, nec unquam Comitibus de Bogen aut quemvis alium ea veſtitos fuiſſe. Tandem adiugetur demonſtratio, qua extra controverſiam ponitur, a prima conſtitutione huius dignitatis ius haereditarium Comitibus Zolleraniſis competiſſe; nec nova aliqua electione, verum haereditatis iure filios ſuis ſucceſſiſſe parentibus. Haec fere ſunt capita, quibus elaborandis praefens pagina deſtinata eſt. Hinc inde interſpergenda quaedam erunt, quae praemunienda ſunt, antequam ea ipſa capita, quae enumeravi, ſtabiliſi poſſint. Prolixitatis accuſationem ſi quis inſiſſerit, culpam ego omnem amoliri ſtudebo ea excuſatione, qua me ſoliditatis et certitudinis ſtudio, non diſſulae orationis amore prolixum fuiſſe teſtabor. Malo prolixus videri; modo, quod ad rem pertineat, nihil omiſerim: quam res ſcitu neceſſarias negligendo brevitatis et concinnitatis ſpeciem captare.

ſ. 3. Ut in rebus philoſophicis a definitione omnis arceſſenda eſt diſputatio: ſic contra in hiſtoricis ex inſtitutione prima et fundatione dignitatum de ipſis dignitatibus iudicium ferri debet. Enucleanda prius Burggrafiatus origo, quam de eius dignitate principali conſtare poteſt. Hinc res a primis, quod aiunt, incunabulis repetenda eſt. Summopere miror ipſam huius dignitatis originem dubiam adhuc, et ne quidem a tot tantisque hiſtoricis liquido detectam eſſe. Omnia, quae de illa referuntur, inexplorata, incerta, ambigua ſunt. Scriptores ne quidem de tempore conſentiunt, quo haec dignitas coeperit. Tanta licet ambiguitate fluctuent cuncta de origine Burggrafiorum tradita, eam tamen detectu proſus impoſſibilem nondum iudico. Quantum rem hanc ſollicite meditatſus hac in parte profecerim, memorare animus eſt. Id quaſi uno ore ab hiſtoricis traditur, ſub Conrado aliquo regni Germanici habenas moderato vel ortum eſſe

esse Burggrafiatum, vel saltem eius primam iniici mentionem. Verba singulorum mox in medium asseram, magis ut constet, quid alii senserint, quam quod hac opinionum recensione litem decidi posse confidam. Pauci sunt, qui alium quendam imperatorem auctorem huius dignitatis nominent: quos vel manifesto in errore teneri, vel ad illorum ante memoratorum sententiam commode reduci posse, infra declarabo. Lis adeo omnis de eo est, quisnam ille Conradus fuerit, sub cuius regimine primi Burggravi Norimbergae constituti dicuntur. Quot Conrados vidit Romanum imperium, tot deprehendes explicationes: nec fortasse quidquam obstat, quo minus plures tribus explicatio-nes invenias, quam quod quartus aliquis Conradus inter reges Romanos ab omnibus non numeretur. De Conrado I. reges Carolingici seminis secuto, id intelligi audies. Aliqui de Conrado Salico, secundo huius nominis rege, interpretati sunt. Nec interim defunt, qui ad Conradum III. Suevum haec omnia referunt. Singulorum rationes examinabo, & postremorum sententiae meum adiciam calculum, rationibus gravissimis motus, quas hic paucis exponam. Primum ostendam, quanta infirmitate nitatur testimonium, quod ad Conradum I. pertinere ortum Burggrafiorum Norimbergensium censet. Deinde ante Conradum Salicum non extitisse Burggrafios istos, nec eorundem originem ab eodem deduci posse, monstrabo. Denique, ne quem ego scrupulum relinquam inmotum, docebo, ne quidem sub successoribus Conradi Salici Henricis tertio, quarto, quinto, Lothariove ortum esse Burggrafiatum. Tandem calculo chronologico et testimoniis aliquorum auctorum non postremae fidei in subsidium vocatis evincam, non prius, quam sub Conrado Suevo primos extitisse Burggrafios. Haud levis momenti erit haec inquisitio in demonstranda principali dignitate Burggrafiorum Noricorum, quod tum demum clarius patebit, ubi tela vix nunc coepta, per-texta erit.

§. 4. Qui pro Conrado I. militent, testium nubem adducere quidem non possum. Plures uno reperire non potui, qui adeo venerandae antiquitati litarent. Sed magnae is est auctoritatis, eoque maioris, quo est certius, patuisse ipsi archiva & scri-

serinia principum, quibus diplomata, privilegia & antiquissimae quaeque scripturae asservantur. Leutingerum dico historicum sui saeculi facile principem, cuius verba huc pertinentia in Topographia Marchiae §. 99. p. 1180. Tom. II. Edit. Kuffer. haec sunt: *Coeptit Norimbergensis Burggraviatus sub Conrado Imperatore anno DCCCCXI.* Decisam litem, inquis. En imperatorem nominat; en annum designat. Sed quantacunque huius historici auctoritas sit in rebus sui aevi, vel eidem propinquis, eam tamen elevari crediderim, ubi extendatur ad septingentorum annorum spatium. Ferri aliquanto ea possent, ubi alios bene multos consentientes haberet. At enim vero, ubi solus suo testimonio rem ante multa saecula gestam stabilit, fidem non sine specie iusti recusabis. Sed nolo ego e loco tam lubrico pugnare. Incolumem integramque auctoritatem suam per me servet Leutingerus. Alia ex parte aciem contra ipsum instruam. Eludam suspicionem illam, quasi adeo accurata annorum definitio desumpta sit ex diplomatibus archivo reconditis. Certe, quo magis attenta mentis acie narrationem Leutingeri intueor, eo minorem fidem apud me meretur eadem. Undecunque petita sit, hausta profecto neque ex diplomatibus, privilegiis aut chartis authenticis est, neque ex scriptoribus coaevis, & quod omne fert punctum, cum chronologicis rationibus vix satis bene componitur. Unde haec ego coniciam, paucis indicabo. Habitus atque conditio verborum Leutingeri talis est, ut conjecturam hanc animo meo iniecerit non solum, sed & penitus infixerit. Conradum I. Imperatorem appellat. Sed observarunt iam ante me, qui penitus haec omnia scrutati sunt, numquam titulo Imperatoris Conradum I. usum esse in diplomatibus, privilegiis, chartisve aliis. Tam certa visa est haec observatio Nic. Hieronymo Gundlingio, ut ex illa sola evicerit contra Conringium, coronam Norimbergae inter insignia Imperii asservatam non Conradi I. sed forte secundi esse. Regis appellatione in diplomatibus atque nummis contentus erat Conradus, de quo loquimur. Charta apud Brover. in Antiquit. Fuldenf. legitur: *Conradus Romanorum Francorum Rex.* Privilegium apud Schatenium in Annal. Paderbornenf. P. I. Lib. III. p. 245. exhibet *Conradum serenissimum Regem.*
Lite.

Litterae apud Hedam in Histor. Episcoporum Ultrajectinor. p. 73. nominant *Conradum gloriosissimum Regem*: quæ denominatio etiam occurrit in literis citatis in Brovveri Antiqu. Fuldens. L. IV. p. 282. Quid iuvat exempla cumulare in re non dubia? Ubi nullum productum est exemplum, quod staret pro parte contraria; an ibi omnium exemplorum enumerationem necessariam iudicares? Verba itaque Leutingeri, quae haud spernendum dissensum a diplomatibus prae se ferunt, inde deprompta esse nequeunt. Sed forte ex scriptoribus aevo illi proximis repetita narratio? ne id quidem vero simile est. Contrarium enim illi scriptores profitentur, & studiose monent, imperatoria benedictione Conradum destitutum fuisse. Audi Sigebertum Gemblacensem p. 576. *Ludovicus Rex Germaniae - - - propterea tyrannorum in Italia insolentiam, et multam malorum ingruentiam non meruit imperialem benedictionem, cui succedens Conradus - - - et ipse caruit benedictione imperiali.* Regino in regno successisse Ludovico Conradum memorat p. 74. ap. Pistor. Conradum in regnum, non in imperium elevatum Hermannus Contractus ib. p. 132. narrat. Hos & noviores quidam secuti. Hinc Gobelting Persona Cosmodrom. Act. VI. cap. XLV: *Conradus Rex regnavit annis VII. Sed inter Imperatores non numeratur.* Idem c. LIII. *Conradum Salicum appellat secundum in Regno, sed primum eo nomine in Imperio.* Ex quo Conradum I. non fuisse Imperatorem conficitur. Scilicet aevo illi persuasum erat, benedictionem pontificum imperatores constituere, nec mos eorum temporum aliter ferebat, quam ut eo modo iudicaretur. Qui igitur ea benedictione carebat, eum imperatorem dicere nefas erat. Hinc Conradus Salicus saeculi intervallo primum secutus, adeo studiose annos regni ab annis imperii distinguit. Sic confirmatio imperatoria translationi Episcopatus Numburgensis in Sagittarii Histor. Ecardi II. March. Misn. Sect. XI. §. 9. data est *anno Dom. incarn. millesimo XXX secundo, anno autem domini Conradi II. regnantis IX, imperantis vero VI.* Idem Conradus Salicus, qui se anno MXXIII. teste Schaten. in Annal. Paderborn. scripsit *Cbunradum Regem Romanorum secundum*, appellatur *Cuonradus divina annuente clementia Romanorum Imperator Augustus* in traditione bono-

bonorum in Thuringia a Conrado II. Imp. facta Ludovico Barbatto, primo Thuringiae Landgrafio, in Tenzelii Supplemento Hist. Gothanae §. 189 p. 383 data *anno incarn. Domini Millefimo XXXVIII. anno Domini Cudrudi Imperatoris Augusti, imperii XIII. regni vero XV.* Tanta illis temporibus differentia intercedebat Regem inter et Imperatorem. Quanta vero convenientia erit Leutingero cum antiquioribus, qui cum Imperatorem appellat, quem hi Imperatorem fuisse negant? Aut fallor ego vehementer, aut abuade probatum est Leutingeri testimonium tam cum diplomatibus, quam cum aliis scriptoribus vix satis bene congruere.

§. 5. Sed mitte illam Imperatoris denominationem, quae satis apte conciliari nequit. Finge suo quodam iure usum esse Leutingerum in imponendis rerum nominibus. Impune sustulerit is e medio distinctionem regum ab imperatoribus, sancte auctoribus eius aevi servatam. Num quid inde roboris, num quid adiumenti accedet testimonio? Illis omnibus impedimentis procul remotis, Leutingeri tamen verba cum Chronologia componi non poterunt. Quam vim huic testimonio inesse dixeris, ubi non anno DCCCCXI, sed sequenti demum Conradum regno admotum docuero? Audebisne testem illum obrudere, qui non solum septingentorum annorum intervallo distat a regeſta quam testimonio suo solus confirmat, sed et in ipsa designatione annorum, quibus rem gestam esse narrat, aberrat? Maiora certe indicia dubii testimonii desiderari vix poterunt. Res omnis devolvitur in annum, quo Conradus I. coeperit regnare. Decisam quidem esse litem omnem autumat Jo. David. Koelerns duobus diplomatibus, quae sequentibus verbis adducit in *diff. Genealogica de Familia Augusta Franconica habita MDCCXXII.* ad Tab. I. n. 6. p. 3: „Variant quidem antiqui chronographi in anno „electionis Conradi I. Regis constituendo. Sed pro anno *911.* „omnem dubitationem tollunt subscriptiones in diplomatibus „Conradi. Ita enim legitur in donatione data Monasterio S. „Michaelis in Aberinesburg in Tolneri Codice diplomatico Palatino n. XVI. p. 13. *Data X. Kal. Septembris in monte Abirinesburg anno Dominicae incarnat. DCCCCXII. indictione XIII.* anno

anno primo regni Chunradi gloriosissimi Regis. Actum ad Tribunariam in palatio regio feliciter. Amen. „Et in Heda Histor. „Episcop. Ultraiectinorum p. 73. occurrit eiusdem Regis charta data VII. Idus Julii anno incarnat. Dom. DCCCCXIV. indictione II. anno Regni Conradi gloriosissimi Regis tertio &c. Sed pace viri celeberrimi dixerim nondum sic omnem dubitationem tolli. Prior enim charta id solum evincit, non ante vigesimum tertium diem Augusti; posterior, non ante nonum diem Julii anni DCCCCXI. electum esse Conradum. Sed pone eum regem electum anno DCCCCXII. mense Junio, utriusque chartae sua constabit ratio. Prior primo, posterior tertio regni anno data erit. Tantum nimirum abest, ut tollatur hoc pacto dubitatio omnis, ut, quae fuerit ante ambiguitas, eadem et nunc remaneat. Innotuerunt diplomata, quibus res haec pro anno 911. magis adhuc confici videtur. Confirmatio Privilegiorum Mechedensium data XII. Idus Martii anno incarnationis domini DCCCCXIII. anno vero regni domini Chounradi II. Et Corbejenfium privilegiorum similis confirmatio data III. Non Februarii anno ab incarnatione Domini DCCCCXIII. Regni Conradi serenissimi Regis II. Videtis utramque hanc confirmationem apud Schatenium in Annal. Paderborn. P. I. L. III. Extat et apud Brovverum in Antiq. Fuldenf. L. IV. p. 282. privilegium datum VIII. Idus Aprilis anno incarnationis domini DCCCCXII. indictione XV. regnante gloriosissimo Rege Cunrado anno I. regni eius. Ex his quidem patet post tertium Februarii anni DCCCCXII. non electum Conradum. Neque tamen tolli hoc pacto omnem dubitationem affirmari potest. Simile ego exemplum suppeditabo in Conrado II. Salico. Occurrit apud Schaten. loc. cit. diploma datum IV. Idus Septembris anno Domini MXXIV, anno vero Domini Chunradi secundi primo. Quid de illo iudicabis, qui ex hoc diplomate colligit, anno MXXIII. Conradum Salicum regnum cepisse? Quid de alio quodam, qui inde inferet ante mensem Septembrem anni MXXIV. illum rerum esse potitum, quod omnino pronum & facile nexu inde fluere videtur? Num utrumque falli dices? Et profecto res ita habet. Etenim auctor vitae Meinwerici c. 93. apud Leibnizium Tom. I. Script. Brunsvicensium p. 557 testatur

Conradum anno dom. incarn. 1024 - - VI. Idus Septembris regnum obtinuisse : quocum consentiunt annales Hildesheimenses ad a. 1024. qui ibidem leguntur p. 725: *VI. Idus Septembr. Cuonradus regnum subintravit.* Vide quam fallax sit hac in parte illatio. Ex diplomate allato constat ante decimum Septembris creatum regem Salicum. Infer inde eundem ante octavum Septembris creatum, et oppido falleris. Ut igitur ad primum Conradum revertar, pone eum electum primo vel secundo Februarii, vel mense Januario anni DCCCC XII, et omnium adductorum diplomatum firma stabilisque auctoritas manebit. Ne quid per subreptionem inferamus, id saltem ex dictis sequitur, neque post tertium Februarii anni DCCCC XII. neque ante nonum diem Julii anni DCCCC XI. electionem factam. Fere septem mensium spatium inclusum est, initium regni, in quod inquiri. Sed multo adhuc arctius constringi potest. Annum emortualem Conradi regis memoriae mandavit Marianus Scotus Lib. III. act. VI. p. 446. : *Anno 918. Conradus Rex obiit X. Kalendar. Januarii, sepultusque est in Fulda monasterio iuxta altare Sanctae crucis.* Consentit Necrologium Fuldense a Leibnizio Tom. III. Script. Brunsvicens. insertum, quod: *ad annum DCCCCVIII. Einhart Episcopus, Cuonrat Rex.* Brouerus in Antiquit. Fuldens. L. II. p. 129. testatur prisco Fuldenis ecclesiae martyrologio adscriptum esse: X. KALEND. JAN. CVONRADVS REX. Hepidanus ad annum 918. *Cuonradus Rex obiit ante natale domini.* Hinc quia finito fere anno 918. vivis excessit Conradus, quidam mortem eius ad an. 919. referunt. Lambertus Schafnaburgensis p. 155. ad an. 919. *Conradus Rex obiit, cui Henricus Saxo successit.* Reginonis Continuator ad eundem annum: *Conradus Rex obiit & in Fulda monasterio honorifica sepultura tumulatus est.* At enim vero septem annos regnando eum non complevisse certum est. Luithprandus scriptor coaevus. qui instar omnium esse potest, Hist. Lib. II. c. 7: *Conradus Rex, septimo regni sui anno, vocationis suae ad Dominum tempus agnovit.* Magnum Chron. Belgicum p. 75: *Conradus regnavit annis septem - - - tandem moriens septimo anno regni sui &c.* Siffridus Presbyter: *Electus est Conradus,*

dur, qui mortuus anno regni sui septimo. Sed pone Conradum electum mense Novembri, vel initio Decembris anni DCCCCXI. non septimo, sed octavo regni anno vivere desierit. Igitur tempus electionis huius arctioribus adhuc cancellis quam ante, inscriptum, et vigesimo tertio Decembris anni DCCCCXI. tertioque Februarii anni sequentis contentum est. Confirmat haec dies immortalis Ludovici IV. quibusdam annotatus, novis quidem scriptoribus, sed fide antiquorum sine dubio non destituit. Ita Tolnerus in Histor. Palat. cap. VII. p. 183. *Ludovico IV. ex stemmate Caroli M. ultimo Ratisbonnae A. 911. XII. Kal. Januarii moerore extincto Conradus Francicus successit.* De anno eodem consentiunt Hermannus Contractus, Reginonis Continuator, et Necrologium Fuldense, quod *ad annum DCCCCXI: H. Ludovicus Rex.* Quidam ad annum sequentem mortem Ludovici retrahunt: quos inter Lambertus Schafnaburgensis, Siegebertus Gemblacensis, et inter recentiores Schatenius in Annal. Paderbornens. qui obitum Ludovici tamen dubie vel ad exitum anni 911. vel ad initium sequentis, electionem vero Conradi sine omni dubio ad annum 912. restringit. Ex hoc vero similis coniectura petitur, qua dies Tolnero definitus confirmatur. Circa finem certe anni 911. mortuum esse Ludovicum oportet. Nimis alias insignis foret error eorum, qui sequentem annum designant: quorum dicta cum aliorum relationibus componi aliquo modo possunt, ubi vigesimo primo Decembris exanimatum Regem dixeris. Pauci enim illi dies, qui mortem Ludovici et initium anni 912. intercesserunt, aberrationem magis excusabilem facere videntur. Nunc consideremus, quantum intervallum intercesserit, mortem Arnulphi et electionem filii eius, mortem Conradi et electionem Henrici I. ut ex iis electionibus, inter quas haec Conradi I. de qua ago, media interiacet, de hac ipsa iudicium fieri possit. Blondellus otium mihi fecit hac in parte in Genealogia Plenior. Adfert. qui p. 204: *Ludovicus, inquit, Arnulphi filius, anno 893. natus, suffectus anno 900 die quarto Februarii Arnulpho patri Decembris octavo denato, mortalitatem explevit anno 911.* Haec omnia cum auctorum fide dignissimorum testimoniis conveniunt. Duorum adeo mensium spatium solum

regium mortuo Arnulpho vacavit. Post Conradum fere annuo spatio caruit Rege Germania. Henricus enim circa finem anni 919. vel initium anni 920. regnum sortitus est. Evolve Reginonis Continuatore, Hermannum Contractum, Lambertum Schafnaburgensem, Sigebertum Gemblacensem. Ut igitur Conradum Ludovico non nisi aliquot dierum spatio elapso statim surrogatum credamus, ne quidem exempla suadent. Adde multo maiores difficultates superandas fuisse in Conradi electione, quam in ambabus illis electionibus, quibus eam contuli. Etenim mortuo Arnulpho filius parenti successurus aderat, nec peregrinus quispiam circumspiciendus, arcessendusve erat. Et, si morem respiciamus, illo tempore ab Carolingea familia recedere, insolens erat. Conradus moriturus ipsum Henricum successorem commendabat, neque adeo in incerto positum erat, quo inclinarent populorum animi. Sed in Conrado eligendo longe dispar ratio erat. Is neque sanguine Ludovicum attingebat, neque ab antecessore praedefinitus erat. Num magnum quid postulo, ubi concedi mihi velim, decem diebus regiam sedem orbatam possessore fuisse morte Ludovici? Profecto modica haec est petitio, ubi morem eligendi tum receptum spectes. Erat enim tum electionis ius penes universos Germaniae populos. Reginonis Continuator ad ann. 920. Henricum I. electum fuisse dicit *consensu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum*. Luithprandus L. II. cap. 7. *Conradum Regem cunctis a populis ordinatum* scribit. Wittichindus *Francorum atque Saxonum* mentionum iniicit. Godefridus Viterbiensis *consensum omnium Francorum* in Conrado eligendo praedicat. Vix decem diebus fama mortui Ludovici cunctos Germaniae populos, Francos, Alemannos, Bavaros, Thuringos, Saxones pervagari potuit. Tantum abest, ut eodem velut temporis momento omnes hos in unum coisise, et consiliis communicatis novum Regem, stirpe a regno aliena fatum creasse, putandum sit. Et, quod magnum sane trahit momentum, prius in Otone Duce Saxoniae consensisse populos, dein hoc regnum recusante, eiusdem consilio Conradum demum unctum constat. Memoriae hoc prodidit Wittichindus: *Regi autem Ludovico*

dovico mortuo non erat filius, omnisque populus Francorum atque
 Saxonum, quaerebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse ve-
 ro, quasi iam gravior recusabat imperii onus. Eius tamen con-
 sultu Chunradus quondam Dux Francorum ungitur in Regem.
 Siffidus Presbyter: Post hac Teutonici Othobonem de Brunswig ducem
 Saxoniae Regem sibi poscunt, sed, cum esset senex, renuit:
 consilio tamen eius electus est Conradus. Henr. Bodo in Syntagm.
 de ecclesia Gandersheim. p. 708. Tom. III. Script. Brunswic.
 Leibnizii: Ludovico mortuo omnium potentum Franciae una
 sententia sceptrum regni Ottoni Saxoniae Duci offerendum de-
 cretum fuit Ubi autem regii nominis fama Principis
 aures attigerat, aetatis iam pene decrepitae memor, omnino
 votis principum contraria sensit, et se non potentem armis ob
 naturae imbecillitatem causabatur. Se tamen nunquam regi
 surrogando defuturum, dixit, sed consilio, auxilio et quibus-
 cunque posset, regis rebus opem laturum. Cum proinde Fran-
 ciae principes se sua spe frustratos cernerent, Ottonis Ducis
 Saxoniae providentiae commissum voluerunt ad discernendum,
 quis orientalis Franciae regio diademate coronandus esset,
 tanta rerum cura impendente. Qui secum meditari coepit pri-
 mum; deindeque cunctis animo deliberatis Conradum illis per-
 suasit in regem sufficiendum. An tot tantaque res decem die-
 rum spatio transigi potuerint, ego quidem vehementer dubito.
 Celeritatem miror, qua haec unius mensis spatio acta sunt, non
 tarditatem culpo, quae decem diebus ea omnia non expedierit.
 Omnis vero dubitatio tollitur, ubi testimonia auctorum maxime
 probatorum pro anno 912. facere deprehendimus. Lambertus
 Schafnaburgensis ad ann. 912: Ludovicus rex obiit, cui Conradus
 successit. Annales Hildesheimenses ad annum 912. Ludovicus
 Rex obiit, cui Chounradus Dux Francorum in regnum successit.
 conf. Tom. I. Script. Brunsvic. Leibnizii p. 717. Chronicon Gos-
 larienfe, quod extat Tom. II. Scrip. Brunsv. Leibnizii, p. 535.
 Anno nongentesimo duodecimo Conradus adeptus est Romanum
 imperium. Chronica Slavorum cap. VII. apud Leibnizium l. c.
 p. 543: Ludovicum excepit Conradus, Dux Franciae, anno 912.
 Chronicon Principum Romanorum, qui Goslariae egerunt,

quod Leibnizius III. Tom. Script. Brunsv. a se editum circa Adolphi Imp. tempora scriptum fuisse conjicit: *Na Godes bord, do me screff DCCCCXII. Conradus de crste by deme namen - - heft entfangen dat Romefche Rycke.* Sigebertus Gemblacensis p. 576. ap. Pistor. ad annum 912. *Ludovicus Rex Germaniac moritur. cui succedens Conradus regnavit annis VII.* Chronicon parvum de Monasterio S. S. Simonis et Iudae primum ex manuscripto originali membranaceo editum a Joanne Georgio Leukfeld in addendis ad Antiquit. Walkenriedenses: *Anno nongentesimo duodecimo Conradus adeptus est imperium Romanum.* Scilicet qui ad annum 911. Conrami electionem referunt, ii coniungunt cum electione ista mortem Ludovici, quam eo anno evenisse extra controversiam positum est. Sic Hermannus Contractus p. 132. ap. Pistor. ad annum 911. *Ludovicus rex moritur, Conradus in regnum elevatus.* quocum ex asse congruunt pleraque chronica ad hunc annum inserta Tom. I. Labbei Biblioth. Manuscript. Reginonis Continuator apud eundem Pistorium p. 74. ad annum 911. *Ludovicus rex, filius Arnulphi, obiit, cui Conradus, Conradi ab Adalberto occisi filius, regali iam stirpe deficiente, in regno successit.* Haec omnia eum solum admittunt sensum: anno 911. vivere defuisse Ludovicum, cui postea demum et forsan sequenti anno Conradus successerit. Nisi ita exponantur verba, Continuator Reginonis secum ipse pugnabit, qui ad annum 919 sic habet: *Conradus Rex obiit, vir per omnia mansuetus.* Sed septimo regni anno illum obiisse tam certum est, quam quod certissimum. Paulo id ante declaravi. Sed demtis septem annis regni ab emortuali anno, quem constituit Reginonis Continuator, initium regni non poterit non incidere in annum 912. quod e diametro repugnat eiusdem Continuatoris asserto. Sed haec quasi *κατ' ἄνωγον*. Profecto, qui accuratissime omnia persecuti sunt mortem Ludovici & electionem Conradi annis distinxerunt. Extat. ap. Leibn. inter Script. Brunf. Tom. II. chronicon Riddagshusanum ex Manuscripto tum primum editum: quod ipse editor in praef. iudicat iam ante conditum coenobium Riddagshusanum a scriptoribus coevis confectum, a monachis huius coenobii saltem continuatum; unde & forte ipsi haesit nomen. Coustat id ex more chronographorum aevi anti-

antiquissimi brevibus sententiis singulorum annorum numero ad iectis, quibus quid quoque anno gestum sit, exponitur. Id ad annum 911: *Lodewicus Rex Germaniae obiit.* ad annum 912. *Conradus I. imperat.* Instituto examine deprehendi, hoc chronico initia regnandi reliquorum Imperatorum quam accuratissime indicari. Ex omnibus id elicitur vero esse simillimum, anno 912. scepra cepisse Conradum. Sed fac, si quamcunque veri similitudinem spernis, istum decem illis diebus electum, qui ex anno 911. sunt superstites. Quae quaeso ratio novum regem, nova de stirpe creatum de novis honorum et dignitatum generibus excogitandis sollicitum tenuit, tanta gravissimarum rerum cura impendente?

§. 6. Satis prostrata videtur auctoritas Leutingeri in controversia de origine Burggrafiorum: satis enervatum eiusdem testimonium. Nunc ad eos properandum, qui Conradum Salicum auctorem, statoremque huius dignitatis constituere velle videntur. Sunt illi recentiores: nec bonae causae indicium est, rei vetustae non nisi novos reperiri testes: perinde ac si res gestae aliquot saeculorum fluxu digniores testimoniis fierent, quam tum fuerunt, ubi gerebantur. Scriptor illustris et de Burggrafiato Norimbergensi optime meritus Pachelbl. von Gehag. Consiliarius quondam intimus, amborum Principum Serenissimorum stirpis Brandenburgicae in Franconia, in *des deutschen Reichs- Staats urkundlichen Nachrichten* sub nota q. dedicationi subiecta sic habet: *Burggrafiatus Norimbergensis ab et sub Conrado Salico electoralia iura obtinuit.* Ipse vero hocce suum effatum, nulli, quod sciam, argumentis fulcivit, quibus eam forte fulcire propositum ipsi erat *in deu wahrhaftigen verithrydigungs- Entwurf vor das Burggrafibum Nurnberg gegen seine Widersacher* quam tractationem olim edendam loco citato pollicitus est. Sed, quantum ego quidem novi, lucem ea non vidit; more potius praevenit auctorem institutum non perfecisse credo: quod equidem impense doleo, quia ignotis ipsius rationibus, nec assensum impertiri nec obviam ire possum. Occurrit praeter hunc alius quidam anonymus auctor *der historischen Nachricht von den Ursprung und Wachsthum des heiligen Romi-*

Romischen Reichs freyer Stadt Nurnberg, aus ubralten glaubwürdigen documentis und Urkunden furgestellet. Franckf. und Leipzig. 1707. in 8vo, qui similem opinionem fovet. Ipsum opus chronici formam prae se fert, et in praefatione affirmatur: *Diese Chronick sey nicht von einen auswärtigen auctore, sondern in Nurnberg von einen vornehmen Herrn des Raths, nicht eben publico nomine, jedoch aus den acthesten, und bewachresten Nachrichten colligirt worden &c.* Verba eius Chronici, quae ad Burggrafiatum spectant mentioni Imperatoris Conradi II. ad annum 1024. p. 16. factae subnectuntur: *Unter diesen Kayser wird zum ersten der Burggrafen zu Nurnberg gedacht.* Praeter hos duos, qui sub Conrado II. extitisse Burggrafios afferarint, nullos reperio. Quid me impediatur, quo minus in eam sententiam pedibus pronus eam, enarrandum est.

§. 7. A Conradi Salici temporibus ad Suevi usque aevum perpetuis bellis agitatum reperio civitatem Norimbergensem. Urbs capta, direpta: castellum cum arce dirutum, destructum: cives oppugnati, obsessi. Altera alteram continuo sequebatur expugnatio ac destructio. Vix a recenti clade animum collegerant incolae, cum alio denuo bello obrutis praesens angustia praeteritorum malorum memoriam reficere. Qui in Imperatorem rebellis arma tollebat, is confestim Norimbergam se conjiciebat. Castellum cuilibet primum occupanti tum patebat, eosque tuebatur, qui alios ecleritate praeverterant. Haec arguunt, tum temporis Burggrafios, quibus cura servandae arcis demandata esset, nondum extitisse. Continuis illis bellis satis distincte ab auctoribus recensitis non immixtos fuisse Burggrafios, si extiterint, portentis instar: silentio tectos, si immixti fuerint, profus foret impossibile. Sed eorum ne tantilla sit mentio omni illo tempore, quod Conrados secundum & tertium interiacet. Neutri parti eos addictos semper fuisse, ne somniare quidem licet. Aequo scilicet animo ferebant arcem ipsorum dirutam, nec resistere oppugnantibus consultum ducebant. Bella adeo ista memorari, Burggrafios non nominari, Burggrafios tum extitisse: aut vehementer inter se pugnant, aut, quid sit pugnare, equidem plane ignoro. Sed quae generatim sine probatione asserui, ea nunc singu-

singulos imperatores recensendo distinctius probabo: Nervus argumenti mei non tamen ex unius alicuius Imperatoris bellis cum urbe Norica petitur. Verum ex omnium ac singulorum oppugnationibus, expugnationibusque urbis, castelli, arcis, ex alto de Burggrafis silentio, quos fileri rebus illis memoratis infandum foret, ex defectu testium, qui ante hoc, quod degimus, saeculum vetustatem illam Burggrafiorum agnoverint, et quod probe notandum, non ex unico aliquo horum momentorum, sed ex omnibus simul consideratis, ac coniunctis inter se mea emergit argumentatio.

§. 8. Henricum ducem Franconiae Conrado Salico fratri rebellasse, armaque contra ipsum cepisse ferunt. Sed nihil sibi prius agendum censebat is, quam ut Norimbergam teneret. Civitatem adeo illam, qua ratione nescio, sibi conciliavit. Recepit illa non solum Henricum rebellem, sed et acriter tuita est contra Conradum, fratris mentem turbidam et seditiosam ad obsequium ordinem redacturum. Vi igitur expugnanda urbs Conrado prius erat, quam sine suo potiretur. Chronici, quod antea citavi, *der historischen Nachricht*, verba haec sunt: Anno 1024. *hat Kayser Conrad der andere mit seinen Bruder Herzog Heinrich aus Francken heftige Kriege geführt und Nürnberg, so es mit seinen Bruder gehalten, mit Gewalt eingenommen.* Bellam fabellam de hac rebellionem narrat Engclhufii Chronicon apud Leibniz. Tom. II. Script. Brunf. p. 1084: *Conradus II. fratrem habuit Henricum ducem Sueviae, qui ipsi diu rebellans tandem venit ad Stefanum Regem Ungariae, qui dum factum audiret, iussit ei die parasceves carnes apponi, et nefas horrenti dixit: Saevire in fratrem et hodie carnes assumere aequae tibi licet. Sic leviter castigatus remansit, gratiam fratris impetravit.* Gobelinus Persona Act. VI. cap. LIII. *Conradus II. fuit frater Henrici ducis Sueviae, quem ipse restitit sibi sat agentem extra fines imperii expulit.* Sequitur iisdem ferme verbis relata narratio de Stefano Ungariae Rege, additurque: *Dux reversus ad Regem fratrem et veniam consecutus Nürenberch sponte reliquit imperia.* Quae igitur civitas rebellem ducem fovit, juvitque, imperatorem urbe, portisque excludit, imo contra illum pro duce arma gestit,

fit, eam adeo curae cordique habuit Conradus, ut Burggrafium constitueret, novo dignitatis genere affectum, cui pacis circa Norimbergam conservandae curam demandaret. Quam urbem velut hostem pacis publicae oppugnabat, imo vi expugnabat ipse imperator, eidem pacis in imperio servandae custodes Burggrafios immisit. Ne id forte post haec factum augureris; sequentium temporum ratio mox explicanda obstat. Infra patebit dignitatem Burggrafiam eo sine conditam videri, ut pax in imperio (*der Reichsfriede*) conservaretur, inprimis circa urbem Norimbergam, a latronum et praedatorum gregibus tum frequenter impetitam. Accedit Burggrafios custodiam arcis et portae conceditam fuisse. Sed nunc ipse imperator portas effringit. Quid tum factu Burggrafio opus erat? Sed cur ne huiusmodi quidem de eodem legimus? Fuitne oppugnatus simul a Conrado? an evocatus ex urbe ante oppugnationem? arma sua cum imperatoris armis iunxit? an a rebellis ducis partibus stetit? suam ne ipsius sedem, imperatori socius, oppugnavit? vel certe non resistendo oppugnantibus, ad eam oppugnandam ipse quasi operam haud levem praestitit? quid de arce actum, quae Burggrafii curae demandata erat? an eam ipse vi, ferro, igne expugnavit? aut ab aliis impune expugnari passus est? Memoriae enim traditum est per Conradum hunc castellum cum arce non oppugnatum solum, sed et expugnatum fuisse. Conradus Celtes cap. II. suae descript. Nor. meminit: *per Imperatores Conrados et Henricos castellum cum arce sua direptum et expugnatum esse.* Verba haec vel extra cohaerentiam cum reliquis Conradum Salicum arguunt. Qui per Imperatores Conrados cum Henricis Imperatoribus nominatos alii intelligi possunt, quam secundus cognomine Salicus et tertius Suevus? Et quem alium Conradum secuti sunt in imperio plures uno Henrici? quos hos alios interpreteris, quam Henricos III. IV. V.? Quo itaque tempore castellum cum arce ab Henrico Imperatoris fratre quidem, sed et hoste, levi opera, nullo resistente, nullo prohibente occupatum, et post ab ipso Imperatore obsessum, oppugnatum, expugnatum fuit, Burggrafios neque Norimbergensium, neque Imperatoris partibus adscriptis: eo nondum extitisse Burggrafios, nec sub
idem

idem tempus eosdem ortos esse, probabile est. Certe ubi tam speciosae sententiae nulla nec testimonia, nec argumenta probabiliora obijciuntur, illa reiici deserique nondum potest. Quae enim ante notavi testimonia (6. 6.) ea parum roboris habent, nisi antiquioribus et maioris momenti testibus suffulciantur. Sunt enim, manentque privatae opiniones huius vel illius scriptoris, historiam rerum septingentis annis ante se ortum gestarum ex suo magis ingenio, quam aliorum relationibus confecturi. Suspendum aliquandiu me tenuit, dubiumque fere reddidit de universali scriptorum coaevorum silentio locus aliquis Wipponis. Is non quidem ipsum Wipponem, eum tamen auctorem agnoscit, cuius auctoritatem eo minus repudiare liceret, quo est exploratius, eum rebus iis interfuisse, quas calanio persecutus est. Ab oblivione vindicavit Wipponis diligens studium *versus pro obitu Cunradi Imp. a monacho illius temporis confectus, & Henrico Regi in Constantia civitate publice exhibitus.* Occurrunt in iis quaedam, quae prima specie obscure licet, tale tamen quid innuere videntur, unde suspicio novae alicuius dignitatis in Norico circa ea tempora conditae animo ingenerari possit. Sunt ea haec: Conradus

Saxonibus et Noricis imposuit fraena legis.

Verum taceo, vix apparere rationem, cur non Wippo ea clarius elocutus esset, quae hic admodum obscure subindicarentur, in descriptione sua, cui hoc monachi anonymi carmen subnexum est. In omni descriptione illa vitae Conradi Salici, nihil omnino est, quod ortum Burggrafiatus vel e longinquo respiciat. Nec id profecto pro simplici Wipponis silentio reputari debet. Etenim testatur is, se scripsisse omnia, quae ipsi nota fuerint. Sic in suae descriptionis fine. *Haec, inquit, de Imperatoris Conradi gestis breviter scripsimus, de quibus, si quicquam intactum omnino reliquimus, hoc inauditum esse a nobis credatur.* Longe diversa ratio intercedit silentium duorum scriptorum, quorum alter sua ipsius confessione, quaedam saltem, non omnia, quae innotuerant, tradere constituit; alter profitetur, se omnia diligentissime perscripsisse, quae ullo modo resciscere potuerit. Wippo intactam reliquit institu-

tionem Burggrafiorum Norimbergensium, quod abunde docet inspectio descriptionis, quam nobis tradidit. Ergo inauditam illam ipsi fuisse, concludendum est, si quidem verbis eius salva confliterit fides. Videant itaque, quomodo cum huius scriptoris auctoritate concilient sententiam suam, qui sub Conrado Salico ortum Burggrafiatum, nullo prorsus testimonio nixi, defendunt. Sed qua quaeso ratione inaudita res Wipponi dici posset, ubi eadem ipsis illis versibus indicaretur, quos Wippo subiungit? An persuadeamus nobis, melius versuum horum vim, sensumque nos capere, quam ceperit Wippo coævus? Satis, ut opinor, patet, verba carminis de Burggrafiatu Norico accipi non debere: nec eorum explicationem uberiores moliri meum esset, nisi omnia tentare mallet, quam quidquid immotum relinquere, quod impedimento esse posset. Ego profecto ex ipso Wipponis horum verborum clarissimam declarationem depromam: Sub denominatione Noricorum latebant tum temporis Bavari. Satis id notum est historiarum eius aevi non prorsus imperitis, et praeterea luculentissimo Wipponis testimonio firmatur. Sic enim is inter Pistorii Scriptor. Rer. Germ. VI. p. 436: *Stephanus Rex Ungarorum multas incursiones, et praedas in regno Noricorum, id est Bajoariorum, fecit. En Noricos eosdem cum Bajoariis, Deinde phrasis: fraena legis imponere* vel sensu proprio designat id, quod Wippo ante p. 429. sic extulerat: *Conradus divina et humana iura utiliter distribuebat*: vel metaphoricum sensum admittunt; quod eo minus caret veri specie, quo est usitatus, locutiones carminis transferri in alienam significationem. Ex ipso contextu translationis alicuius suspicio elucet. Verba, quibus significationis ambitus omnis absolvitur, in hunc fluunt modum:

Postquam replevit (Conradus) Franciam per pacis abundantiam,

Mitigavit Alemannos et omnes regni tyrannos:

Saxonibus et Noricis imposuit fraena legis:

Vidit sua magnalia probabilis Italia. &c.

Scilicet de restitutione turbatae pacis hic agitur. Quomodo inserit *Ernesti ducis Alemannorum* regioni pax parta sancitaque fuerit,

fuerit, narrat Wippo. p. 437. Antecedente proxime pagina idem recenset, *quomodo Imperator cum exercitu super Ungaros venerit, ut Noricis vel Bajoariis pacem redderet. Saxonum cum Slavis dissidia per Conradum composita enarrantur* p. 439. Denique Itolorum resin ordinem redactae leguntur sub titulis: *Qualiter rex cum Italis placitavit. Quod rex cum exercitu Italiam rediit. Quod rex Papienses affixerit &c.* Fa-teor tamen, nec ea deesse, quibus propria vocum significatio non parum firmatur. En relationem Wipponis, quae extat p. 430. *Reversus Rex de Ribuariis ad Saxoniam venit; ibi legem crudelissimam Saxonum secundum voluntatem eorum constanti auctoritate roboravit. Deinde a barbaris, qui Saxoniam attingunt, tributa exigens, omne debitum fiscale recepit. Inde Bajoariam et orientalem Franciam pertransiens ad Aleman-niam pervenit. Quo transitu regna pacis foedere et regia tui-tione firmavit.* Saxonia et Bajoaria seu Noricum pacis foede-re et regia tuitione firmatae, quid aliud designant, quam mo-nachi anonymi versus: *Saxonibus et Noricis imposuit fraena legis?* Eligat quisque quam velit sententiam, propriam vel im-propriam. Mihi certe perinde erit. Modo fundatio Burg-grafiatu non immisceatur. Hanc enim silere, transitu regis per Noricum memorato, si cuiusquam alius, Wipponis certe non est, qui levioris momenti res enumerat, maiora non praetermissurus, si adfuissent.

§. 9. Successores Conradi eadem premunt difficulta-tes, quae ipsum Salicum. Imperatores Henricos urbem eam penitus fere destruxisse, res explorata est. Firmat id testimo-nio suo, quod paulo ante (§. 8.) adtuli, Conradus Celtes, cu-ius eo maior auctoritas, quo extantiora eius merita sunt in ur-bem Norimbergam. Ipse Wagenseilius, scriptor Norimber-gen-sibus carus, Celtem permagni facit, & diserte *historicum fide dignum* appellat libro de rebus memorabilibus Norimber-gae p. 13. Praecipue quartus quintusque Henricus extremum fere exitium huic urbi intulerunt. Quintus enim filius a Pa-schale II, Pontifice Romano adversus parentem Henricum IV, excitatus, Norimbergae, quo pater aufugerat, tantam stragem,

tantamque vastitatem infixit, ut post haec per XL. annos suis sepulta ruderibus ac ruinis iacuerit. Referente Wagenfeilio in Comment. de Norimbergae rebus memor. L. I. cap. IV. p. 22. Sigismundus Meisterlein, Pastor Grundlacensis, in MSta exaratione, quam vocavit, rerum Civitatis Norimbergenfis, testatur: *se in plurimis variorum Coenobiorum Chronicis MSS. annotatum reperisse: Henricum V. oppidum Norimbergense captum militibus suis dedisse in praedam; sacrum quoque esse in incolas promiscue &c.* Sine dubio ideo urbs solo aequata, ne quis post ea munitionibus urbis contra Imperatorem abuti posset. Ex quo facile apparet, non urbem solam, sed et ipsum castellum simul et arcem dirutum esse et destructum. Congruit cum hoc locus Celtis, castellum cum arce per Imp. Henricos direptum et expugnatum affirmantis. Otto denique Frisingensis scriptor his rebus proximus, L. VII. sui Chronici cap. VIII. *Castrum*, inquit, *Noricum obsidione cinxit Henricus iunior, ipsaque per duos et amplius menses expugnato, Ratisponam adiit.* Dubium nullum est, quin per *castrum Noricum* Otonis idem designetur, quam per Celtis *castellum cum arce*. Illis enim et proximis temporibus castrum denotavit castellum, arcem: quamquam eo nomine regionem circumiectam plerumque connotari non negaverim. Ita Rudolphus in diplom. quod legitur ap. Linnacum Tom. I. addition. Jur. Publ. p. 745. *castrum* tenuisse Burggrafios affirmat, quod arcem designare nemo dubitat. Wagenfeilius quidem l. c. arcem expugnationi subtrahit, urbem solam eidem subiicit. Sed errare eum hac in parte in aprico positum est. Quomodo cum urbe solo aequata, cum direptione militum, cum saevitia in omnes promiscue exercita solius arcis defensio consistere potest? Expressis verbis auctor vitae Henrici IV., quae legitur inter Ursilii Script. Rer. Germ. Tom. I. p. 387. enarrat castellum Henrico esse traditum: *Mox castellum Nurembergh minax obsedit Henricus filius, ubi, quanta virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. - - - Imperator sceleri parcens castellum tradere praecipit.* Tanta diligentia castelli vicissitudines, variaque fortuna exponuntur; Burggrafiorum, qui illud custodierint, defende-

rint,

rint, tradiderint, ne nomen quidem, sed quid nomen dico? ne levis quidem aliqua suspicio occurrit. *Chronicon die Historische Nachricht* p. 18. ad annum 1105. haec verba habet: *Darauf kam Kayser Henricus IV. in der Flucht für seinen Sohn Henrico V. nach Nürnberg, und ob ihn wohl der Sohn in dem Schloß bis in den andern Monat belagerte, mußte er doch unverrichteter Sachen abziehen; (Notari velim irritam oppugnationem castelli, unde forte error Wagenfeilli enatus est: quasi Henricus proflus castellum non expugnaverit) Worauf ihn der Vater bis nach Regensburg nachjagte, ihn auch durch Hülffe der Nürnberger von dannen hinweg trieb. Bald zog der Sohn mit grosser Macht wiederum für Nürnberg, sich zu rächen; belagerte sie drey Wochen lang, und wollte abermahls unverrichteter Sachen abziehen: auf Anhalten aber der Chur- und Fürsten wagete er noch einen Sturm, und griff die Stadt an 13. Orten zugleich an, und eroberte sie mit grossen Verlust seines Volcks. Arcem ante simul oppugnatam, nunc non oppugnasse filium; aut, ubi paullo ante tuto delituerat, eodem non revertisse patrem, vix probabile: praesertim cum historici summæ auctoritatis doceant, ipsum etiam castellum in filii potestatem venisse. Tunc temporis tanta fuit urbis eius vastitas, ut ab eadem nomen novum (*der Rüdenberg*) contraxerit, docente Godofredo Lunizio in seiner Beschreibung der Stadt Nürnberg, & chronici aliquoties citati auctore, qui p. 19. sic: *die Stadt ist damahls wegen der Verwüstung der Rüdenberg genennet worden; denn es hatte Kayser Heinrich der fünfte geschworen, sie nicht wieder aufzubauen. Ubi tunc latebant Burggrafi, qui tantam vastitatem urbi, quam defendere debebant, non solum inferri aequo animo passi sunt, sed eam etiam ne quidem successu temporis depellere conati sunt? Cur rerum quarumcunque etiam vilissimarum hæc obsidione gestarum memoria iniicitur; Burggravorum nec vola nec vestigium reperitur? Nonne quidam historici, quamvis infaustis, magnis tamen conatibus contendunt, Burggrafi munus solum in tuenda una aliqua porta urbis constituisse, nec ulterius quicquam comprehendisse? Sed pone vera ea esse omnia, quae falsissima infra denudabo. Quid porta custodien-**

stodienda, ipso imperatore arcem, urbemque expugnante? Num Burggrafii contra imperatorem arma ceperunt? Tam atrox crimen, qui omnis aevi historia siluisset? Impunene id tulissent Burggrafii ab Henrico filio rerum post patrem superatum potito? Nonne plerique opinantur Burggrafiatum tum temporis fuisse dignitatem ad vitam solum concessam, ambulatoriamque? Cur igitur non cessavit haec dignitas, sub Henrico V. quae iam Conrado Salico in urbis expugnatione obsuit? Cur certe non ademtam illi, qui contra imperatorem bellavit, alique, Henrico filio magis amico, collatam legimus? Adeo pugnancia de origine et prima aetate Burggrafiorum vulgo circumferuntur. Si quid iudicare possum, haec omnia certissima sunt indicia, neque sub Conrado II, neque sub Henricis extitisse illos Burggrafios Norimbergenses.

§. 10 Sed fortasse sub Lothario II. instituta est Burggrafialis dignitas? Ne hoc quidem cum veritate historica undiquaque consentire videtur. Lotharius enim Norimbergam parvi fecisse, eiusque curam omnino nullam habuisse perhibetur. Saepius citatum chronicon p. 20: *Anno 1125. wurde Lotharius ein Herzog zu Sachsen zum Rom. Kayser erwehlt, und weil er auch nichtig Nürnbergisch war, blieb die Stadt noch wüste liegen.* Tantum abest, ut Lotharius nova instituenda dignitate paci pariter ac splendori civitatis prospexisse putandus sit. Is potius reaedificationem urbis, castelli, arcis non solum non urfit, sed ne quidem permisit. Etenim demum a Conrado III. Norimbergenses quidam clari et illustres iuvenes, qui coetui et comitatu imperatoris immixti erant, permissionem impetrarunt, urbem patriam rursus excitandi, quod antea non liceuit. Idem illud chronicon, quod hic excitavi p. 23: *An dieses Kayfers Conrad des dritten Hof hielten sich dazumahl viel junge Nürnbergische Bürger auf, welche er beym Kayser dahin brachten, das durch ein Kayserliches edict alle Nürnbergische Bürger zusammen gefodert, und ihnen Macht gegeben wurde, ihre verheerte Stadt wieder aufzubauen.* Obstrinxerat nimirum se Henricus iureiurando, numquam se permissurum, ut urbs rursus exstrueretur, uti supra vidimus. Huic iureiurando paruit pariter successor eius Lotharius. Conradus tamen

tamen ab obligatione iurisiurandi antecessorum liberum se existimans, simulque petitioni Norimbergensium iuvenum satisfactus peculiari mandato permissionem impertitus est urbis restaurandae. Verum quia ne quidem tum civibus licuit patriam solo aequatam e cineribus resuscitare, nisi prius impetrata per edictum imperiale permissione; conjectu facile est, multo minus permillum fuisse, castellum cum arce, direptum et sub Henrico destructum, pristino nitore restituere. Quid tum Burggrafio opus erat, arce nondum de novo exstructa, nec urbe quidem reaedificata? Nulla tum porta custodienda fuit, quae alicui dignitati vel novae constituendae occasionem, vel constitutae materiem et obiectum praeberet. Quin imo ipse Lotharius castellum, quod licet dirutum, loco tamen ipsa natura satis tutum hostes occupaverant, gravi obsidione cinxit: quam scriptores coevi quidem describunt, nulla tamen facta mentione Burggrafii alicuius. Otto Frisingensis diligentissimus sui aevi historicus Lib. II. de rebus gestis Friderici Imperatoris cap. XVI. ita loquitur: *Lotharius Princeps consilio Alberti Moguntini Episcopi, iuxta quod dicitur: Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo; nondum odio in haeredes Imperatoris Henrici satiati, Fridericum duce[m], fratremque suum Conradum persequitur. Cuius rei gratia castrum Noricum, ubi ipsi praesidia posuerant, et tanquam iure haereditario possidebant, obsidione clausit. Huius obsidionis etiam meminit Auctor libri de fundatione Coenobii Pegaviensis, qui a Madero cum Chron. Montis Sereni editus est. Narratis: Lotbarium II. castrum Nurnberg obsedisse, et secum habuisse ducem et exercitum Bohemorum. Pariter Henricum ducem Bavariae Lothario Norimbergam obsessuro operam suam addixisse, didici ex Aldreuteri annal. Boicae gentis L. II. p. 76. et L. I. p. 535. En memoratos comites sociosque imperatoris Norimbergam obsessuri. En altum contra silentium de Burggrafis, neque cum imperatore, neque contra ipsum facientibus: quos tamen, sicubi extiterint, neutri parti addictos fuisse, plane impossibile est. Qua quaelo ratione fieri potuit, ut tot obsidiones, tot expugnationes, urbis, castelli, arcis, distincte satis*

D

et

et perspicue memorarentur, de Burggrafiis vero, si qui tum erant, ne *pro* quidem occurreret?

§. II. Sub Conrado Suevo ultimum enatum bellum, quod Norimbergam ea tempestate afflixit. Deinde pacatiora tempora secuta; et reipublicae, quae aliquot saeculis abellis vix unquam quieverat, tranquilla pax reddita. Veri simillimum est, sub hoc Conrado III. et quidem sub finem imperii eiusdem ortos esse honores Burggrafiales. Nam et hic Imperator vi cepit Norimbergam initio imperii sui: post ea vero non victorem, non expugnatorem, sed clementem principem civitati expugnatæ se praebuit. Meminit huius expugnationis chronicon illud, *die Historische Nachricht*, p. 23. et Gobelinus Persona Cofinodromii aet. VI. cap. LIX. qui: *Conradus III. inquit, ipse obsedit Henricum ducem Bavariae in castro Nuremberg, castrumque cepit. Quid hic loci per castrum hoc intelligi debeat ex loco Celtis notatu maxime digno docebo paragrapho sequenti. Id certum est, Conradum demum urbis a Henrico destructae, nunc reparandae seriam egisse curam. Notior est eius in hanc civitatem favor, quam ut quidquam intermississe putandus sit, quod ad urbis splendorem ac dignitatem ullo modo facere videretur. Urbs non solum tum exstruebatur, sed et amplior latiorque reddebatur. Testis est Norimbergense Chronicon s. *die Historische Nachricht* loc. cit: *der Kayser Courad III. zog selbst nach Nürnberg, und ließ die Stadmauren wieder aufrichten, und erweitern*: quod tamen Wagenfeilius 50. annos tardius sub Henrico VI. evenisse ex Annalibus, quos non nominat, patere affirmat in Comment. de Reb. Memor. Norimb. L.I. cap. IV. p. 23. Editis locis Conradus egregia domicilia exstrui curavit, quae urbi et munimento et ornamento essent. Praedicat eam pro urbe hac susceptam curam Jo. Nauclerus in Chronograph. Gener. XXXIX. his verbis: *Conradus Rex Norimbergam urbem instaurasse invenitur, in qua et insignis monasterium ordinis divi Benedicti, ad S. Aegidium nuncupatum, in celebriori urbis loco fundavit. Ab hoc Conrado Norimberga incrementum plurimum suscepisse legitur. Castellum Imperiale hoc tempore denuo excitatum fuisse, maxime probabile est: quippe post Conradum castellum illud firmissimum**

imum

rum et ex omni parte munitissimum fuisse, extra controversiam ponitur. Denique idem Imperator civitatem institutis egregiis ordinationibusque novis auxit pariter, ac ornavit. H. Mutius L. XVII. Chron. p. 138. id edisserit: *Conradus patriam suam Germaniam impensissime dilexit, multisque egregiis aedificiis exornavit. Norimbergam hic Conradus auxit aedificiis, institutis et privilegiis: debetque illa civitas magnam sui partem huic imperatori: monasterium illic ad S. Aegidium fundavit, viasque circa eam urbem undique latrociniiis obsessas tutas reddidit. Sed per incrementum plurimum, quod Norimberga a Conrado suscepit; per instituta nova; per vias tutas redditas quasi e longinquo indicari fundationem Burggraviatus, locus Conradi Celtis mox in medium afferendus clarissime docebit.*

§. 12. Auctor is magnae in rebus, quae ad Norimbergam attinent, fidei in libello de origine, situ, moribus et institutis Norimbergae cap. II. nobis verba sequentia praecit: *Aucta urbs (Norimberga) sobole, insluentibus assidue Herciniae pastoribus eiusque loci ab originibus. Hi congestis temere saxis et reboribus fossa oppidum cinxere, in quod diversarum artium et morum homines colluvie quadam sine duce et legibus collecti coiere qui latrociniiis et ferarum more rapinis dediti infestam reddebant Germaniam. Quam obviam per Imperatores Conrados et Henricos castellum cum arce sua direptum et expugnatum legimus. Neque a latrociniiis ab indomitis tum hominibus temperatum est, donec imperator exercitum colli admoverit, muros erexerit, domicilium praeterea firmissimum in arce quadam construens, veteranisque et emeritis ibi relictis, quibus regendae urbis gubernacula commiserat, praecepit, ut vastum nemus ob commercia a latronibus purgarent. Digna sunt haec, quae ulterius expendantur, quod originem Burggravorum respiciant haud ita procul, & fortasse magis, quam prima fronte videri possent. Qui ante Henricos temporibus Conradi II. viguisse Burggrafios volunt, refutantur, ubi homines tum sine duce et legibus rapinis ferarum more et latrociniiis operam dedisse dicuntur, usque dum per Conrados et Henricos castellum dirueretur. Si aliquis pacis publicae procurandae causa et latro-*

ciniorem prohibendorum ergo constitutus fuisset, certe neque
 dux ad probiora facta aequae ac consilia meliora, neque leges
 defuissent huic hominum coetui. Ob castrum cum arce sua
 dirutum sub Henrico et post eum nullus tum obtinuit Burggra-
 fiatus. Sed haec omnia Ceteros quasi multo ante arcem venio
 constructam gesta narrat. Nec dubium est, quin praedatio et
 direptio militum, qua Henrici temporibus in omnes promiscuae
 incolas saevitum est, animis hominum, quantumvis ferorum,
 quantumvis indomitorum immanem terrorem iniecerit. Secus
 enim si se res habuisset, homines isti humanam prorsus natu-
 ram exuisse censendi essent. Abstinerunt itaque tum sine du-
 bio caedibus, rapinisque: et praedandi cupiditas, longa praeser-
 tim consuetudine confirmata, timore ac formidine poenae, sup-
 pressa saltem aliquo tempore est, si radicitus evelli nequirit.
 Perbene haec conveniunt cum annis XL. quibus urbs post exci-
 dium ab Henrico illatum inculta iacuit. Tamen elapso aliquo
 tempore ad pristinos mores reditum, poenae memoria tempo-
 ris diuturnitate abolita, et timore sensim mitigato. Nec a la-
 trociniis prius temperatum est, quam Conradus III. exercitum
 colli admoverit, ubi ante Henrici tempora castellum constiterat.
 Apparet hinc, quodnam sit illud castellum, quod Dux Bavariae
 Henricus supra occupasse dicebatur. Scilicet non castello, sed
 loco castelli natura munito sese tuebatur, loci opportunitate
 fretus. Collem praedatores a Conrado deturbandi pariter petie-
 rant, nec Conrado accessus, nisi admoto exercitu, patebat. Muri
 non reparati, sed erecti, & quasi de novo extructi: quod sane
 veri nominis vastationem et demolitionem subindicat. Domi-
 cilium firmissimum, in arce quadam extructum, designare ca-
 strum imperiale (*die Reich Feste*) in prono est, uti ote quo fir-
 mius domicilium Norimbergae unquam fuisse vix credo. Forte
 veterani illi et emeriti, quibus cura regendae urbis credita est,
 fuerunt Burggrafius et assessores eius in iudicio provinciali, quod
 Norimbergae fuit. Non ego primus hanc sententiam teneo, ut
 eam ingenio finxisse dici possim. Eadem mens iam pridem
 edit b. Joachimo Henrico Hagen, qui hanc opinionem, ut
 maxime probabilem, defendit in egregia, quam perscripsit, dis-
 de

de Iudicio Caes. Provinciali Norico p. 17. Si quis tamen huic opinioni pertinaciter refragari voluerit, is suo sane sensu abundet. Sufficit abunde ex dictis constare, veteranos hos iudices Celtis, et de quibus ego ago, Burggrafios, si non profusius iidem fuerint, eidem tamen tempori ortum suum debere.

§. 13. Quinimo, ubi annos computamus secundum ea, quae hucusque tradidi, apparebit in tempora Conradi III. non posse non incidere ortum Burggrafiatus. Etenim circa annum 1106. aut brevi ante Henricus patrem Norimbergae obsedit; castrumque diruit. Connumeratis igitur annis XL, quibus urbs deferta mansit et castello caruit, annus restauratae urbis et arcis reaedificatae incidit in numerum 1146. Quam ob rem cum arcis huius custodia occasionem huic novae dignitati condendae dedisse traditur; si unquam, certe circa annum 1150. exorti sunt Burggrafii. Cacterum non nova est mea de ortu huius dignitatis sub Conrado I. I. sententia: eandem iam alii ante me foverunt, quamquam neminem noverim, qui data opera spinosam eam rem expediverit. Cario Chronici sui L. V. p. 831. sic inquit: *Für Kaisers Friederichs Barbarossas Zeiten, wird dieser Burggrafen (zu Nürnberg) nicht viel gedacht in Historien*; quod apprimè mecum consentit. Si enim Conradi postremis annis imperii demum orti sunt Burggrafii, inclarescere illi prius, quam sub Friderico Conradum secuto, non potuerunt. Lazius libro de migrationibus gentium non adeo longe distat a sententia mea, quam primo obtutu videri posset. Is quidem libro VII. de Boiis p. 284: *Defecit nobile stemma Marchionum a Vogburg in Dietboldo III. anno Domini 1120. Ceterum ditionem Vogburgensis Marchionatus ab imperio impetravere, partim Bojariae duces, partim Burggrafi Norabergenses, tunc primum ab Augustis coepti constitui.* Quo ad Fridericum II. Imp. constitutionem Burggrafiorum referre videtur: quod alibi clarius enunciatur p. 286. *Godofridus a Vogburg a Friderico II. Burggrafius Nurnbergensis instituitur, et Noribergam tum pagum muro cinxit.* Unde Godofredum hunc primum constitutum Burggrafium fuisse suspicio oritur. Sed haec non adeo stricte accipienda esse, alia loca eiusdem auctoris evincunt. Sic de Eberhardo longe ante Diet-

boldum III. claro: *Eberhardus Marchio Vogburgensis, Comes de Bogen, Cham et Neumarcht, princeps Voitlandiac vendidisse scribitur Burggrafis Nurnbergenfibus tum primum omnium institutis duo oppida Wunsidel et Kirchlamicz.* En primam institutionem eorum ad Everhardum relatam: qui ergo et ad Dietpoldum III. ultimum suae gentis eadem institutio, tanquam tunc primum facta referri potuit, nisi laxus verbis significatus tribueretur? Certe, quae idem Lazius p. 295. affert: *Vogburgensium Marchionum stirpem a Conrado III. circa annum 1142. praefectura Castri Norici sub titulo Burggrafiorum donatam esse;* ea, quoad chronologiam, accomodatiore ad meam sententiam vix dici possent. An de Vogburgensibus Marchionibus ea assertio valeat, alio loco dispiciam. Iusto longius a vero tempore removit originem Burggrafiorum Wagenfeilius, ubi Henricum VI. Imperatorem huius honoris auctorem extitisse affirmat. Comment. de Reb. Mem. Nor. pag. 23. Perbene is perspiciebat, urbe desolata et destructo castello Burggrafis orituris locum haud esse. Eo referendum esse ortum eorum sentiebat, quo muris iam urbs circumdata esset. Hinc quia ipsi persuasum erat, moenia non prius, quam ab Henrico VI. exstructa esse, non poterat non ad eundem imperatorem referre Burggrafiorum originem. Sed supra satis probavi Conradum III. iam urbem rursus munivisse. Remotus adeo est scopolus, qui Wagenfeilium ad Henricum VI. repulit. Burggrafii adeo iam sub ipso Conrado orti esse possunt. At enim vero Henricus non prius, quam anno 1196. rerum potitus est. Et satis a b. Jo. Wollg. Rentfchio *in seinen Brandenburg. Cederhåyn* p. 276 seqq. probatum est, Conradum de Zollern iamiam circa annum 1170. extitisse Burggrafium in Nurnberg. Ergo si vel maxime muros urbis Henricus reparaverit, vel amplificaverit, ab ipso tamen origo Burggrafiorum neutiquam repeti potest.

§. 14 Erroneae opinionis, quasi sub Conrado Salico ortus esset Burggrafialis honos, ipsos natales detexisse, ipsamque genefin quasi coram intueri mihi videor. Errori huic sine dubio occasionem dedit peculiaris ille subscribendi modus, quo in fignandis diplomatibus Conradus Suevus usus est. Nunquam si

fe

Te Conradum tertium, semper secundum nominat. Non ego in praesenti follicitus scrutabor, cur id factum sit. Indicasse suffecerit, eam quibusdam placuisse rationem, non numerari inter Reges Romanos eum Conradum, qui Ludovico IV. Carolingorum in Germania ultimo successit. Probavit sese ea opinio satis multis, et inter eos Jo. Mich. Heinneccio, qui Tract. de Sigillis P. I. cap. IX. §. 49: *Non sane, inquit, expeditum est, cur Conradus III. se in sigillis (quin imo et in diplomatibus) vocare soleat secundum, cum tamen duos habeat antecessores eiusdem nominis reges, Conradum nimirum Salicum et Conradum Francum, quos nemo non fatetur iure Germanis praefuisse. Video equidem Cl. Knauthium in sigillo suo legere sibi visum esse CONRADVM III. Sed huic emendationi non modo sigillum nostrum, sed et ipsum diploma, in quo Knauthius sigillum suum reperit, repugnat. Hoc enim orditur: Conradus divina favente clementia secundus Romanorum Rex Cuius generis et cetera sunt huius Regis diplomata a Lindenbrogio, Schatenio, Cel. Paullini, atque a me ipso etiam edita, in quibus non aliter ac secundus, numquam tertius vocatur. Cuius facti sui, quas habuerit rationes, aegre profecto divinaveris. Conradum certe secundum omittere non potuit, quippe qui non modo Regis, sed etiam Imperatoris Romani titulum dignitatemque est consecutus. Primum ergo ex hoc numero exulare oportet. Sed quam ob rem? Nisi omnia me fallunt, in ea sententia Conradus III. fuit, Conradum I. qui omnem Italiae curam omiserit, solique Germaniae precario imperarit, non posse Romanum Regem vocari. Sed ab hac opinione ego longe in diversa abeo. Rationes sic subduco. Conradus Suevus regem secundum se appellat. Ad primum ergo alium aliquem Conradum regem respicit, cuius intuitu se secundum vocitat. Conradus Salicus numquam se regem primum scripsit. Ad Francum igitur respexisse Suevum censeo. Sed cur Conradum Salicum exclusum numero regum? Scilicet Salicus absolute se Regem, postea Imperatorem scripsit in initiis diplomatum suorum. Sic diploma praefixum Burchardi Ep. Wormacensis libris XX. decretorum p. 3. incipit: *In nomine - - - Conradus divina favente clementia Rex.* Aliud apud Sagittarium*

rium in Histor. Eccardi II. March. Misa. Sect. XI. §. 9. orditur:
In nomine - - - Conradus divina favente clementia Imperator Augustus. Traditio bonorum in Thuringia in Tenzel. Supplem. Hist. Gothanae §. 189. p. 383. *In nomine - - - Cuonradus divina amveniente clementia Romanorum Imperator Augustus - - - Data V. Kal. Maji Anno incarn. Domini Millelesimo XXXVIII - - - anno domini Conradi Imperatoris Augusti Imperii XIII, regni vero XV. Actum Goslariae villa regia feliciter.* Annos quidem imperii et regni distinctos, sed quotus in regno, quotus in imperio eiusdem nominis fuerit Conradus, non indicatum animadvertes. Qui igitur reliquis regibus simile secum nomen sortitis se adnumerare dedignatus est, eum iuste Conradus Suevus e numero regum Conradorum omittere potuit. Taceo admodum imbecilem illam rationem esse, ob quam Conradum Francum omissum putant. Quis ob scelera Neronem ex serie Romanorum Imperatorum, aut ex catalogo regum Germaniae ob ignaviam Wenceslaum eximet? Et quod rem omnem conficit, ne quidem omississe Italiam sine iniuria Conradus dici potest; cum ex Eckhardo Juniore de castibus monasterii S. Galli pateat, *missum eo tempore Hattonem Moguntinum in Italiam, qui ius regium exigat, eumque divitissimum inde rediisse.* Adeo non abjecerat curam Italiae Conradus Francus. Sed quem velis, omissum censeas, primum, secundumve: ego, quod de tertio asserui, aliquot extantioribus exemplis probatum dabo. In Ughelli Ital. Sacrae Tom. I. pag. 806. occurrit diploma datum apud Cucurionem in territorio Spoletano 14. Kal. Octobr. anno dominicae incarnationis 1087. &c. in quo ipse Fridericus, Conradi III. filius provocat ad *Patrem Chunradum secundum.* Simile diploma l. c. p. 454. sic orditur: *In nomine - - - Chunradus Romanorum Rex secundus - - - Dat. pridie idus Martii Anno Dom. Inc. 1150. Nurenbergae.* Inter Illustres a Ludwig reliquias MStorum Diplom. Tom. IV. p. 25. extat *Original: diploma Zwettalensis monasterii datum a Domino Chunrado secundo Romanorum Rege anno 1139. conf. p. 51. eiusdem Tomi, ubi pariter provocatur ad Chunradum Regem secundum.* Eiusdem operis Tom. I. p. 7. inseritur
 privi-

privilegium de anno 1151, cuius initium: *In nomine - - Conradus Romanorum Rex secundus*. Haec sufficere possunt pro instituto praesenti. Id tamen monendum censeo occurrisse paucissima quaedam exempla diplomatum, quibus Conradus III. exhibetur. Sed descriptorum depravatione id factum suspicor, qui, ubi annos adscriptos Conrado secundo non convenire viderunt, Chronologiae laboranti suppetias laturo, loco *Conradus II.* lineola unica satis inscienter adiecta *Conradum III.* exhibuerunt. Et, quod probe notandum, error iste solum admissus est in iis exemplis, in quibus numeri, quos vocant Romanos, nomini adiecti sunt. Hinc factum est, ut in quibusdam diplomaticis *Conradum III. tertium* numquam scriptum reperias. Hinc enatus est error historicorum ad Salicum pertrahentium, quae ad Suevum pertinebant. De Chronico Norimbergensi res in aprico est. Nominat enim illud Godofredum, Burggrafium Norimbergensem, quem sub Conrado Salicum, quasi re probe explorata, reponit. Ego vero mox luculenter probabo, Godofredum illum sub Conrado Suevo demum vixisse. An dubitari amplius potest, me veros huius erroneae sententiae natales rimatum esse?

S. 15. Primus Burggrafiorum Norimbergensium latuit haectenus notitiam omnium fere historicorum. Vereor ne nimis temerarius videar, ubi illum expeditivisse praedico. Profitibortamen, quid hac in parte detexerim, certus sententiam, quam prolaturus in medium sum, suis rationibus non destitui. Scilicet inde ab anno 1170, gentem Zolleranam tenuisse Burggrafiatum Norimbergensem, rationibus invictis evicit b. Jo. Wolsf. Rentschius in *seinem Brandenburg. Cederhayn* loco supra iam citato. An haereditario iure id factum sit, mox disquiram? Nunc factum id esse extra controversiam positum indicasse sufficit. Circa annum 1146. ortum esse Burggrafiatum, supra probabile reddidi. Lacuna igitur illa aliquot et viginti annorum explenda est, ubi plenam seriem Burggrafiorum desideres. Antiquissimam Burggrafiorum Noricorum mentionem, fide quidem dignam, deprehendi in diplomate quodam *dato sub Conrado II. apud Traiect.* anno domini MCXLV. XV. Kal. Novembr.

E

Citan.

*Citantur ibi testes Godefridus Praefectus Norenbergensis, Robertus Comes de Lutzenburch, Godefridus de Renem et multis aliis interjectis, Arnoldus de Rotenburch Dapifer, Conradus Pris Pincerna, Tibertus Camerarius &c. Exscriptum typis id extat apud Wilh. Hedam in Historia Episcoporum Ultrajectinorum p. 166. Et ne forte credas, Burggrafiatum & praefecturam diversas dignitates esse, evolve diploma de anno 1154, quo confirmantur bona monasterii Sidikenbische, in app. ad Illustr. Bunavii Vitam Friderici I. p. 425. Testis ibi inter alios bene multos est Godefridus Burggrafius de Nurenberch, quem diversum a priori illo ante aliquot annos praefecto Norico putare, nulla suadet ratio. In Tom. II. Ughelli Ital. Sacr. p. 371. privilegium apparet, quo Fridericus Imperator Archiepiscoporum Ravennatum libertates anno 1160 munit. Testis eidem subiiicitur Godefredus Burggrafius de Nurenberche. Ex quibus inter se collatis constat, lacunam illam omnem unico Godofredi Burggrafiati expleri debere. Sed quis fuerit Godofredus ille? qua satus stirpe? ea maiori indagine opus habere videntur. Illum familiae Comitum de Zollern inferendum esse, Lazius rotunde negat, de migrationibus gentium L. VII. p. 295. Verba eius haec sunt: *Burggrafi Norici Castri primi, antequam adhuc Zolrenses in ea dignitate inuestiti essent: I. Godefridus genuit Arnoldum, Cunradum & filiam regi Bohemiae locatam, Friderico Caesare primo imperante. II. Conradus Fridericum reliquit; circa annum floruerunt 1180. III. Fridericus duas habuit coniuges &c. Hunc Godofredum expresse refert ad stemma comitum de Vohburg: ubi loc. cit. asserit Vohburgensium marchionum stirpem a Conrado III. circa annum 1142 praefectura Castri Norici sub titulo Burggrafiorum donatam esse; p. 284 vero defendit, stirpem eam demum anno 1210 extinctam esse, quibus aliquo interjecto tempore Zolrenses successerint. Ex quibus confici videtur, Burggrafios omnes, qui intra annos 1142 & 1210 floruerint, fuisse stirpe Vohburgensium prognatos. Dubitari adeo nequit, quin idem ille sit Godofredus, quem p. 295 & quem p. 284 Lazius adducit. En verba loci posterioris, quia prioris verba modo iam exscripti: Everhardus Comes de Vohburg**

burg reliquit tres filios circa annum 1126. Hermannum marchionem de Vogburg, Alberonem comitem de Vogburg, et Godofridum Comitem de Nurnberg, quo tempore pagus adhuc fuerat pago adiuncto. Est et alius de Godofredo quodam Lazii locus, quem huc pertinere arbitror, quamquam contrarium ex inspectione patere videatur. Est is. p. 286. sequens: *Godofridus a Vogburg a Friderico II. Burggrafius Nurnbergensis instituitur, et Norimbergam tum pagum muro cinxit: citatur in Valdsafsensibus diplomatibus anno 1227. Conradus, filius Godofredi cum Arnolde fratre, postremus suae stirpis fuit, cui legitur Fridericus secundus Chreussen oppidum dono dedisse, et cum in Burggrafatu Nurnbergensi confirmasse. Sunt tamen, qui hos duos (Godofredum, Conradumque) ex familia Vogburgensium excludant. In his tribus relationibus innumera falsa continentur, vera tamen nonnulla. Extricabo ea, quantum potero, ut de Godofredo primo Burggrafio Norico certiora innotescant. Ordiam ab iis, quae postremo loco retuli. Conradus p. 286. dicitur filius Godofredi a Vogburg, frater Arnoldi. Sed, qui p. 295. occurrit Conradus, pariter Godofredo a Vogburg prognatus Arnoldi frater dicitur. Is, qui p. 286. indicatur, postremus suae stirpis post annum 1227. vixisse traditur. Sed falsum hoc esse, ipse Lazius testatur, qui p. 284. in Dietboldo III. anno 1210. defecisse stemma Vogburgense tradit. Quomodo hoc conciliari posset cum Conrado a Vogburg, post annum 1227. Burggrafiatum Noricum tenente? Nonne eo tempore fere per sexaginta annos iam haesisse Burggrafiatum in familia Zollerana evictum est? Fridericus secundus Imp. huic Conrado a Vogburg Chreussen oppidum dono dedisse eumque in Burggrafiatu Norimbergensi confirmasse narratur. Sed qui sub Friderico II. Imperatore floruit Burggrafius Noricus fuit Conradus II. Comes de Zollern filius Friderici I. et huic castrum Chreussen concessum est, docentibus id litteris de 1. Octobr. anni 1251. conf. *Cederhays* p. 295. Conradum adeo Godofredi filium quem Lazius tradit, sub Friderico II. vixisse, falsum est. Godofredus a Vogburg p. 286. a Friderico II. Burggrafius institutus dicitur pater Conradi et Arnoldi. Sed is p. 295. idem fuit parens Conradi et Arnoldi.*

Godofredus a Vogburg Burggrafius refertur ad annum 1180, hoc est, ad Fridericum I. Imp. Primum ergo et secundum Fridericum confusos deprehendis. Is p. 286. Norimbergam pagum muro cinxisse dicitur. Hunc, qui p. 284. et p. 295. nominatur, (hos enim eosdem esse probavi) Comitem de Nurnberg fuisse, quo tempore ea urbs pagus adhuc erat, affirmari cernes. Ut taceam muro cinctum sub Conrado III. urbem, quo ad Conradum III. et successorem Fridericum I. Impp. Godofredum hunc referendum certissime evincitur. Sed citari eum Godofredum ais in Valdsassenfibus diplomatibus anno 1227. Quid quod Chronicon f. die *Historische Nachricht* eum subscripsisse affirmat quibusdam literis anno 1225. ab Henrico VII. datis. Sed pace utrorumque testium horum dixerim, errorem esse non nisi in persona. Literas anno 1225. d. 7. Julii ab Henrico VII. datas subignavit *Conradus Burggrafius in Nurnberg*, quem Comitem de Zollern, secundum huius nominis inter Burggrafios fuisse, res explorata est. vid. *Cederbain* p. 283. Error de chartis Valdsassenfibus enatus ex privilegio, quod Henricus VII. *Würzburgi datum* anno 1227. concessit *monasterio Waldsachsen*. Huic vero non Godofredus, sed Conradus, nec Godofredi filius, sed Friderici I. Comitis de Zollern subscripsit. conf. *Cederbain* p. 295. Ex his, nisi fallor, patet locos ex Lazio citatos p. 284. 286. 296. de eodem Godofredo agere. Conradus iste, qui anno 1180. Burggrafiatus praefuit, ex stemmate Zollerano, quin fuerit, dubium nullum est. Huius pater Godofredus testimonio Lazii probatus ad idem stemma referendus est. Scilicet id unum verum esse in testimonio Lazii crediderim: Godofredum Conradum filium successorem in Burggrafiatu habuisse, quem Fridericus Godofredi ex Conrado nepos in eadem dignitate secutus sit: primumque eorum Norimbergam pagum muris cinxisse. Circumspiciendum nobis est in genealogiis Burggrafiorum Norimbergenfium, num alicubi inveniamus Fridericum aliquem, cuius pater Conradi, avus Godofredi nomine insignitus fuerit. In Fridericum II. haec criteria non quadrant. Eius enim pater non Conradi, sed pariter Friderici I. nomen tenuit. Nec in Fridericum tertium hae notae conveniunt. Quamquam enim eius parens
Con-

Conradus II. appellatus fuerit, avus tamen non Godofredi, sed Friderici I. nomen obtinuerat. Pariter Fridericis nec quarto nec quinto apti sunt hi characteres. Ille patrem Fridericum III. hic Joannem II. habuit; neuter Conradum. Nulli igitur Fridericorum inter primos Burggrafios Norimbergenses hae notae tribui possunt, nisi forte Friderico I. Huius enim parens nomine Conradi I. designabatur; avi nomen ignotum est: cui forte Godofredi haesit denominatio. Ut Godofredum Lazio memoratum, et diplomatibus subscriptum, parentem alicuius Conradi, avum Friderici Burggrafiorum ex testimonio Lazii, habeam pro patre huius Conradi I. avo Friderici I. ipsa suadet Chronologia. Circa annum 1150. ortos esse honores Burggrafiales ostendi. Illos circa annum 1170. tenuit Conradus I. Huius parens latuit haecenus. Ab eodem deinceps semper filii successerunt parentibus, fratribus fratres. Forte et is, qui Conradum antecessit, parens ipsius fuit. Sed quod is ignotus est, hinc lacuna, hinc hiatus vigintiannorum in computo chronologico. Innouit Godofredus nomine aliquis, fide diplomatum Burggrafius Norimbergensis, teste Lazio pater Conradi, avus Friderici. Evici nulli Fridericorum, nulli antiquorum Burggrafiorum enumeratas notas characteristicas nepotis, filiique convenire posse praeter Fridericum I. Igitur Lazii narratio, aut omnis pro fictione habenda, aut Friderico I. aptanda. Qui prius amplectitur, is quomodo hiatus chronologico medeatur, et reliqua incommoda suae sententiae vitet, sibi prospiciat. Ego, ut hiatus iste persona aliqua expleatur, Conradi I. patrem Godofredum Burggrafiorum Norimbergensium seriei genealogicae inferendum censeo. Provoco hac in re ad iudicium prudentiorum quorumvis, qui vel me non monente animadvertent, me non vana hariolari. Ne quidem ipsi Lazio aliena videri possit haec mea sententia, qui iam tum monuit, esse quosdam, qui Godofredum, Conradumque ex stirpe Vogburgica exulare velint.

§. 16. Godofredum gente Zollerana oriundum fuisse, satis adstruxi. Primum illum fuisse Burggrafium satis loquuntur relationes Lazii, quarum una Godofredum Norimbergae

tum praefuisse pronuntiat, cum illa pagus fuerat adhucdum, nec a desolatione Henrici moenia reaedificata: altera eum muro Norimbergam tum pagum cinxisse disertè testatur. Conradi III. temporibus cum hoc factum sit, in ipsa primordia Burgrafiatus Norimbergensis ea omnia incidunt, omniumque primus Burgrafiorum Godofredus fuit. Confimor ego mirum in modum in eadem opinione sequenti argumento. Idem ille Godofredus, antequam Burgrafius fieret, Castellani munus obibat. In literis *Hugoni de Chranickberg A. 1142. apud Nurembergh datis regnante Chunrado Rege secundo, anno regni eius quinto, testis* subscriptus est *Godofredus Castellanus de Nurembergh*. Aliud quoddam *privilegium Conradi Regis secundi, datum apud Nurembergh A. 1138.* (est enim mendum typographicum, ubi Tom. III. Ughelli Ital. Sacr. p. 39. annus 1108. subscribitur, uti patet vel ex sola inscriptione a fronte diplomatis adiecta) excitat *testem Gothefridum Castellatum de Rumbergh*; pro quo legendum videtur de Nurembergh. In *Diplomate Conradi Regis secundi*, quo *iur cudendi monetas conceditur civitati Astensi* citatur *Godofredus Castellanus de Horenberg*, pro quo forte legi debere Norenberg, primum est. conf. Ughelli Ital. Sacr. Tom. IV. p. 362. Hunc Godofredum esse eundem cum Conradi patre, Friderici avo, paullo post Burgrafio inde conjicio quod non solum temporis rationes scite admodum congruunt, sed maxime probabile est, Castellano de Nurnberg creditam fuisse curam murorum extruendorum, cuius Lazius meminerat. Rem omnem ego sic gestam concipio. Ab initio Godofredus Comes Zolleranus tenuit officium Castellani. Deinde cura ipsi murorum extruendorum demandata: quam ubi strenue peregisset, evectus est ad dignitatem Burgrafi vel Praefecti Norimbergensis. Has enim denominationes significatum eundem denotare ex eo patet, quod licet raro, aliquoties tamen ipsi Comites de Zollern Praefectos Norimbergenses se diplomatibus eo tempore subscribebant, quo tamen eos iam Burgrafios fuisse nemo dubitat. Exemplum eius rei, quod siccurrit, extat apud Hundium in Tom. I. metropol. Salisb. p. 64, ubi in *privilegio Philippi Imp. de a. 1108, testis* advocatur *Fridericus*
Prac-

Praefectus de Nurnberg. Sed plerisque ea fedet opinio, ac si Castellanus & Burggrafius eadem ratione diversa nomina eiusdem dignitatis sint. His obviam eundem cenfeo.

§. 17. Castellanos esse multo antiquiores Burggrafis, vel exinde patet; quod temporibus Henrici V. Dominum de Ragazey vel Ragaetze, ut alii scribunt, Castellatum fuisse, chronicon Norimbergense tradit p. 13 seqq. eundemque evocatum esse ab imperatore Henrico filio, post finitum eum patre bellum, ut rationes redderet muneris sui ac de bonorum illorum administratione responderet, quae ipsius curae commissa erant. Forfan & ideo evocatus, quod a patris partibus illo bello stetit. Subiectus Castellanus erat civitati Norimbergensi; quo igitur civitas inclinabat, eo Castellatum verti oportebat. Hinc fieri non potuit, quin contra Henricum filium dominus de Ragazey illo tempore faceret. Hanc vero etiam causam evocationis fuisse prolevi conjectura vendito, nec ultra eius fines extendi velim. Sed Burggrafios unquam de reddenda actionum suarum ratione ab Imperatore postulatos, nusquam legitur. Porro Castellani a magistratu instituebantur docente Wurfbeinio in diisp. de Castellanis: & licet magnifico nomine, antiquioribus tamen ignoto, eos Praefides Provinciae moderni quidam nominant, vid. Wagenfeil. Mem. Nor. p. 553, illos tamen, si non ex omni, certe maxima ex parte a magistratu civitatis dependisse, nemo, quod sciam, negavit. Contra Burggrafii immediate imperio & imperatori subiecti erant: quod testantur antiquissimae illae infeudationes, quae adhuc extant. Qui Castellanos munia sua, ut feuda, obtinuisse asseveraret, nae is suavia narraret somnia. Et qui Burggrafios Noricos ab alio, quam ab ipso imperatore constitutos fingeret eum delirare ego crediderim. Neque erat illa immedietas solis Burggrafis nostris propria. Gavisus eadem est Burggrafius Rhynfeldensis, qui circa annum 1243 & posthaec sub magno, quod vocant, interregno vixit. Legitur de eodem in Chron. Helvet. Jo. Stumpfii L. XII. cap. XII. p. 379: *Sein Titul war: Des Heiligen Reichs Diener, und Burggraf zu Rhynfelden.* quo ipso immediata dependentia Burggrafiorum ab imperio significanter exprimitur. Licet non negaverim

verim paullo aliam rationem fuisse Burggrafiorum Misnensium, & Magdeburgicorum: qua de re alio loco commodius. Henrici V. temporibus Castellanus erat dominus de Ragazey, ut ante vidimus. Sed Conradi temporibus, & ut videtur Lotharii, illud munus obibat Godofredus, quem sive a Vohburg, sive a Zollerlarn, quae sanior est sententia, dixeris, familiae tamen de Ragazey intrudere numquam poteris. Munus adeo Castellano-
rum ambulatorium erat, & advitam solum concedebatur; quod, quos evolvi, omnes concedunt: atque, quod maximum, ex alia in aliam familiam transferebatur. Sed Burggrafiorum longe alia erat conditio, quos ex familia Zollerana singulos, ac omnes oriundos fuisse, partim ego, partim alii eviderunt. Quin imo mox probabo Burggrafiorum dignitatem a primis, quod aiunt, incunabulis haereditariam fuisse. Castellanos, si munere suo rite defuncti non essent, interdum officio suo deiectos esse deprehendi, Si quidem evocatus ille de Ragazey ad muneris gesti rationem exponendam, Henrico administrationem suam probare non potuisset, dubium non est, quin munere motus fuerit: quod anne forte etiam tum factum sit, negare non ausim, licet relatum id non legam. En locum ex Registro bonorum & iurium Ecclesiae Bremensis, ut inscribitur apud Leibnit. in Tom. II. Script. Brunf. excerptum, & quidem e p. 265. *Castellani castri Langwedel saepius et ad multos annos post ipsius castri aedificationem habuerunt iudicium temporale dictum intra Langwedel & Bremam in tribus Parochiis Dawerden, Achim, Arbergen; & omnes inhabitantes parochias praedictas fuerunt sub iurisdictione temporali Castellano-
rum ibidem. Propter tantam istorum nimiam exactionem, quam quotidie exercuerunt in villanos & praedictarum parochiarum inhabitatores, fuerunt destituti, (i. e. officio privati, ut sequitur) Nam Capitulum & alii, possidentes bona intra Langwedel & Bremam procuraverunt eligi alium iudicem temporalem, qui mitius cum eorum colonis & agricolis ageret, non exactionando eosdem, sicut Castellani fecerunt, qui nimium exorbitaverunt. Post destitutionem iam dictam fuerunt electi vasalli habitantes ibidem &c. Castellani hi castri Langwedel non nudum castrense feudum tequerunt, sed & iurisdictione sua*

sua gaudebant, constituebantur a Capitulo Bremensi, eidem se obstringebant iureiurando, & ad eius praescriptum cuncta peragebant: quod patet ex p. 253. loc. cit.: *Archiepiscopus ordinabit officialem curiae Bremensis, virum literatum, expertum, bonae vitae & honestae conversationis, Deum timentem, item reliquos officiales & Castellanos omnes ordinabit de scitu & consensu totius Capituli tam maiores, quam minores: qui iurabunt Capitulo, quod Colonos & Agricultores in solitis & pristinis libertatibus tuevi & defendere velint; etiam bona in nullo gravare.* Ex his Castellanos conditio quantum a Burggraforum Noricorum iuribus distet, abunde conspicitur. Adde, & illis temporibus, quibus Burggrafii iam dudum constituti erant, exitisse diversos ab illis Castellanos: quorum tamen res penitus scrutari nunc non vacat. Mitto leviores differentias, quas inter est, quod Castellani nudi nobiles, Burggrafii Comites fuerint, quorum illo tempore longe diversa, deterior illis, his praestantior ratio fuit.

§. 18. Ex his quae dicta sunt haecenus sponte sequitur eos in manifesto errore versari, qui autumant modo huic, modo illi familiae Burggrafiatum ab initio concessum fuisse. Ne unicum quidem exemplum produci haecenus potuit, quod, fide historica factum, alium, quam Comitem Zolleranum sisteret Burggrafium. Auctor chronici Norimbergensis Godofredum, Conradum, Fridericum tanquam aliena stirpe sotos nobis obrudit; quod, quale sit, supra dispeximus. Idem p. 16 non prius, quam sub Rudolpho in Friderici III. posteris dignitatem eam haereditariam factam esse defendit: quo cum tantum non omnes illi faciunt, qui historica compendia compilant. Sed nunc non quaeritur de facto historico: Tenuerintne semper Comites Zollerani Burggrafiatum? Ius in controversiam vocatur: Iurene haereditario tenuerint? Ego quaestionem hanc affirmare non erubesco. Vix credibile est, multis ultra saeculum annis eandem familiam nunquam interrupta serie dignitatem aliquam possedisse, quae singulis eam occupantibus solum ad vitam concessa erat? Centum & triginta sex anni praeterfluxere ab anno 1145, quo Godofredum Burggrafium fuisse scimus, ad 1281. quo anno hanc dignitatem haereditariam fuisse adeo extra controversiam positum est, ut plerique illam tum demum haereditariam factam esse affirmant. Po-

ne familiae Zolleranae ab initio Burggrafiatum non in perpetuum concessum: Qui durante interregno quod inter mortem Friderici II. & Imperium Rudolphi I. Habsburgici intercessit, ex una semper eademque stirpe lecti sunt Burggrafi? Qui factum, ut turbulento illo Germaniae statu, qui ordinem quemque respuit, inordinata quaevis admisisse videtur, filii semper patribus pulcherrimo ordine surrogati sint? Cum de capite regni summus erat dissensus, quis adeo mirificum tum obtinuisse consensum dicat in parte aliqua regni minima ita ordinanda, utne series parentum filiorumque in successione interturbaretur? Cur ne tum quidem ab eadem familia vel semel recessum? An ullum aliquod exemplum simile proferri potest ambulatoriae alicuius dignitatis, quae quamvis ad vitam solum concedi solita, per integrum tamen saeculum & quod excedit eidem semper familiae quasi adfixa adhaesit, ita ut parentibus fato defunctis semper filii successerint, vel fratribus fratres? Sed quantaecunque sint istae probabilitates; uti tamen illis pro meo iure nolo. Certiora enim & luculentiora praesidia suppent. Asservatur originale scriptum aliquod ab omnibus electoribus *Aquisgrani d. 25 Octobr. anno 1273. signatum*, quod in compendium missum a *Jo. Wolff. Rentschio vide in seinen Cederbayn p. 301.* In eo non obscura indicia supersunt, inde a Godofredo iure haereditario ad posteros eius defluxisse Burggrafiatum. Aperte ibidem testantur electores, Rudolphum Imperatorem in feudum concessisse Friderico ea omnia, quae pater ipsius & progenitores in feudum tenuerint. Nec ulla aliqua diversitas subindicatur, quae forte inter progenitores & Fridericum, quoad feuda haec intercesserit. Quo iure igitur ea competierunt progenitoribus Friderici; eodem & a Rudolpho Friderico collata sunt. Et contra: Quo iure feuda Friderico concessa, eodem & a progenitoribus eius possessa sunt. At vero illorum ipsorum concessione, qui ab initio ambulatorium fuisse Burggrafiatum sibi persuaserunt, Fridericus III. feuda ista ita possedit, ut ad posteros suos haereditate transmittere posset. Hinc & progenitoribus eiusdem ius haereditarium in feuda, quae possederunt, competit. Sed numeram quae so praeter patrem duos Friderici progenitores avum & proavum, & usque ad ipsum Godofredum, primum omnium Burggrafiorum, ascendit. Ius haereditarium in Burggrafiatu viguit ergo

ergo inde a Godofredo in familia Zollerana. A primo hinc initio Burggrafiatus dignitas haereditaria. Subjungitur verbis discretis eidem scripto: *gratiam, quae praedecessores iam tenuissent, eosolum modo auctam esse, ut filia Friderici Maria & eiusdem Mariae haeredes huius feudi haereditate gaudere deberent.* Cur filiarum solum mentio fieret, omisissis prorsus filiis, nisi ad illas solas privilegium tum impetratum pertinuisset? Nonne id ideo falsum censet, quod id solum Fridericus impetraverit, ut filia Maria ius succedendi in feuda acquireret; filii vero illud idem ius iam dudum tenuissent. Certe, nisi filii ante haec eo succedendi iure pollebant, his & secuturis temporibus illud nullibi accepisse leguntur. Ex quo absurdum hoc sequeretur: ne quidem in Friderico III. haereditariam fuisse hanc dignitatem; id quod tamen omnes illi contendunt, qui etiam primis temporibus Burggrafios ad vitam constitutos mallent.

§. 19. Eiusdem iuris haereditarii ut clarissima, ita firmissima vestigia deprehendo in *Privilegio Rudolphi Imp. Gemundae dato anno 1281. d. 4. Septembr.* Recensentur ibi omnia ea, quae ad Burggrafiatus pertinent. Qui hoc cum reliquis diplomatibus circa haec tempora Burggrafiis datis conferet, facile largietur, politicas subfuisse rationes amplae huic recensio, qualem alibi non deprehendimus. Denique additur: *Haec cum aliis feudis, quae praedictus Burggrafius & sui progenitores ab inclytae recordationis Imperatoribus & Regibus, nostris Praedecessoribus feudali titulo tenuerunt . . . nunc & ipsi concedimus in feudum, & Mariae suae filiae, uxori Nobilis Viri Comitis de Oettingen, ac coeteris eiusdem Burggrafi filibus. Si tamen ipsam Mariam liberis cuiuscunque sexus habere & dictum Burggrafium sine haerede masculino contingat decedere, ipsa Maria, exclusis coeteris suis sororibus, cum suis liberis, feudis in iisdem succedat.* Dicuntur hic progenitores Friderici III. ab Imperatoribus & Regibus, praedecessoribus Rudolphi ea ipsa enumerata feuda tenuisse, quae ipsi Friderico III. tum concedebantur. Quos praedecessores dicit Rudolphus? Eos solum, qui de imperiali dignitate tempore interregni digladiabantur? an simul illos, qui ante interregnum quieti imperium nemine turbante regebant? Si prius: non progenitorum facienda fuisset mentio, sed solius patris? Solus inter progeni-

genitores Friderici Conradus pater ejusdem Burggrafiatui eo tempore praefuit. Avi tempora iam ante interregnum incidunt. Si posterius: Quousque praedecefforum titulum extendi vis? an ad solum Fridericum II. Imp.? Apage istas fabulas. Etenim sub Philippo Imperatore Burggrafius Norimbergenfis Fridericus, avus Friderici III. in ipsis diplomatibus imperialibus nominatur: utpote qui praefecturam iisdem iuribus munitam, quibus nepos ipfius tenuit. Vel ex hoc unico privilegio patet plures uno progenitores Friderici Burggrafiatum iam tenuiffe; ut mirari vix fatis queam, quo pacto res haec a quibusdam in dubium vocari poterit, quibus ipsum hoc diploma ignotum non erat. Non progenitoris, non patris, non avi, sed progenitorum fit mentio. Sed praeter patrem & avum appone proavum, abavumque, & tempora prima Burggrafiatu transfuiffi. Deinde solum Mariae filiae, & caeteris ejusdem Burggrafii filiabus Burggrafiatu in feudum conceditur? omnibus filiabus? sed anne & filiis? At filios tum extitiffe negas. Neque ego affirmo. Sed quid factu opus, ubi post haec aliqui nasceretur, quod & re vera factum est? Cur non haeredibus masculis Friderici, si qui post haec fuerint, ius hoc succedendi adrogatur? At cautum illis est, ais, in ipso diplomate. Ergo id concedis, non expresse adferi ius succedendi filiis, licet cautione aliqua adiecta ipsis provifum fit? Nonne hinc clariffime patet, Burggrafiatum iam ab antiquiffimis temporibus haereditario iure competiiffe filiis, nec tum opus fuiffe, ut id novo firmaretur privilegio. Denique nisi iam pridem ante Friderici tempora filii habuiffent ius haereditatis in Burggrafiatu, si nulla alia re, longa certe consuetudine & usu firmatum; cur illis hic tam caute prospiceretur? cur Mariae filiae ipsiusque liberis tum demum concederetur ius succedendi in feuda, inter quae est non solum ex omnium confessione, sed & ex ipsa illa ibidem instituta enumeratione ipse Burggrafiatu, ubi dictum Burggrafiatum sine haerede masculino contingeret decedere? Quid opus erat clausulam de haeredibus masculis adicere, ubi nullum ius succedendi illis fuisset? Si Burggrafiatu tum erat dignitas ad vitam solum tradi solita, & ambulatoria, cur non Comiti de Oettingen, defuncto Friderico, conferri potuit, neque ad haeredes masculos Friderici, neque ad eius filiam Comitis uxorem ullo habito respectu? Quid haeredes masculi Fri-

Friderici impediabant successionem Comitis de Oettingen, et eius uxoris Mariae, si quidem ipsi nullo tum successionis iure gaudebant? Profecto aut iam multo ante Fridericum Burggraviatus erat dignitas haereditaria, aut post Friderici saltem tempora nondum fuit. Postremum nemo adhucdum asserere ausus est. Igitur prius admittendum.

§. 20. Extat etiam in Koeleri diff. de ducibus Meraniae diploma datum in *Chadolspurch* anno Domini *MCCLXVII* unde non obscure evinci potest, iam tum obtinuisse ius haereditarium in successione Burggrafiorum Norimbergensium. Concessum illud est durante interregno a Ludovico Palatino Rheno ipsi Friderico Comiti Zollerano, iam tamen Burggrafio Norimbergensi. En verba huc pertinentia inde excerpta: *Nos attendentes fidem et devotionem - - - quae nobilis vir Fridericus Burggravius de Nurnberg, Romano Imperio impendit haecenus, et ad huc impendere potest; si sine haerede masculino decesserit, ad instantiam precum suarum Dominam Mariam filiam suam, coniugem nobilis Domini Ludewici Comitis de Otingen iunior. et haeredes, qui ab ea fuerint procreati tam Burggraviatu, quam omnibus aliis feodis, quae dictus Frz. Burggravius ab Imperio Romano tenet, - - nomine Imperii infeodamus, et esse volumus infeodatum &c.* Ex hoc diplomate multa patent, quae sine illo tanta luce non fulgent. Sic inde perspicitur iam pridem ante Rudolphi tempora Fridericum, quem familia Zollerana fatum fuisse abunde constat, Burggraviatu praefuisse. Turpiter adeo se dant, qui cum Leutingero contendunt, tum demum Fridericum Burggraviatu vestitum, cum peculiari quodam reverentiae genere Rudolphum veneratus, nuncium de imperatoria dignitate ipsi collata primum attulisset. Videtis fabulam eam relatum in Topogr. March. §. 99. p. 1180. et lib. I. Comment. de March. §. 15. p. 14. Tom. I. Edit. Kuster. Sed moneo ipsum hunc auctorem secum pugnare, dum simul affirmat: *Fridericum Zollerensem demum anno MCCXCIII. in possessionem Burggraviatus immisissum, et eundem statim post electionem Rudolphi, stratagemate quodam politico adhibito, Burggraviatu positum.* Manifesto errore tenetur adeo Urspergensis Continuator, qui p. 288. ita: *Anno Domini 1274. Rudolphus rex Romanorum, comes de Halsburg comitatum Norimbergensem, Teutonice Burggrafschast Nurnberg,*

contulit Friderico Comiti de Zolern, nepoti ex sorore, et is fuit primus Burggrafus Nurnbergenfis. De eo an hic primus fuerit, supra dixi. Porro durante interregno Friderici filiae tum demum conceditur ius succedendi, cum parens sine haerede mafculo decesserit. Ergo iam ante interregnum haeredibus mafculis ius fuit haereditarium in fucceffionem dignitatis Burggrafialis. Deinde cum infeudatio Mariae, fi clara verba diplomatis fequatur, involverit fucceffionem ordinariam eorum haeredum, qui ab illa procreati fuerint, nulla erit ratio, cur infeudatio Friderici non idem complexa fuiffe dicatur. Certe id inde apparet, a more eius aevi alienum non fuiffe, infeudationem comprehendere fucceffionem mafculorum haeredum. Cur vero id ab infeudatione Friderici et progenitorum eius alienum credatur, quod a more eius faeculi alienum non est, ego quidem non video. Producant igitur ii, qui ambulatorium Burggrafiatum iis temporibus obtinuiffe mallent, rationes fuas, ut appareat, an illae auctoritati tot diplomatum tollendae elevandaeque pares fint.

§. 21. Verum funt, qui hiftorico argumento haereditarium ius Burggrafiorum fubvertere conantur. Ante Fridericum afferunt alium quendam ignota, et forfan a Zollerenti aliena ftirpe pregnatum, Henricum nomine, praefuiffe Burggrafiatum. Meum igitur eft inquirere, quis is Henricus fuerit. Meminit eius Cario L. V. p. 831. his verbis: *Unter Kayfer Rudolpho wird genant Burggraf Henricus; wird aber nicht ausdrücklich gedacht, weß Geflecht oder Ankunft er gewesen. Nach Henrico hat Kayfer Rudolphus das Burggrafthum befohlen Friderico, Grafen zu Zöbern, der hat zu gleich auch das Land, fo Burggraf Henricus hatte, bekommen.* Et dein mox fubiungit Cadolspurgum Henrici morte ad Zollerenfes devolutum effe. Verum illud Fridericum Zollerenfem iam ante Rudolphi tempora, adeoque ante Henrici illius, quem iactitant, mortem tenuiffe, exploratum eft. Cario porro afferit Henricum demum anno 1278. vivis exiffie, eidemque demum anno fequente Fridericum Comitem Zolleranum fucceffiffe. Verum hunc longe ante 1267. Burggrafiatum tenuiffe, ante citatum diploma fufficienter loquitur. Quin imo extat diploma Rudolphi de anno 1273. quo Friderico Comitia Burggraviae in Nurnberg etiam in filias propaganda conceditur. Ergo fi Henricus unquam Burggrafus fuit, fuerit neceffe eft ante Rudolphum impe-

imperatorem, quod Carioni e diametro contrarium. Lentingerus in Comment. de March. Brandenb. L. I. sic habet: *Henricus Burggrafus in Nurnberg sine prole decessit anno 1272.* Sed ut taceam, ne sic quidem rem cum testimonio Carionis consentire, cum hoc modo pariter ante Rudolphi tempora Henricus reponendus esset. Eodem enim anno, quo Leutingerus mortuum Henricum tradit, Rudolphus rerum potiebatur. Id saltem urgeo, Leutingeri relationem omnem de Henrico everti diplomate ex Koeleri diss. de Ducibus Meraniae ante allegato. Tantis difficultatibus se implicant ii, qui Henricum aliquem Burggrafum Norimbergensem nobis obtrudunt. Hungw. Mutius in Germ. Chron. L. XXI. refert: *Rudolphum aliquot annos post impetratum imperium misisse cum mandatis ad Ottocarum Bohemiae Regem Henricum Burggrafum Noricum, qui antea comitis Augustanis intersuerat.* Gerardus de Roo in annal. rerum ab Austriae Habsburgicae gentis Principibus gestarum L. I. p. 23. eadem refert, sed de Friderico comite de Zollern: *Ad Boemum (regem ottocarum) legatos mitti placuit. Missi ad eum Fridericus Burggrafus Norimbergensis et Henricus Basileensis Episcopus.* Quod hic Friderico tribuitur, id ibi Henrico adscribitur; hinc cum utrumque eodem tempore vixisse ne quidem ipsi illi asserunt, qui Henricum interponunt, nomina *Henricus* et *Fridericus*, forte ob non dissimilem terminationem, inter se permixta esse patet. Forsan errore facili Episcopi in legatione comitis nomen translatum est in Burggrafium. Consentientem mecum habeo Gerardum de Roo, qui p. 22. l. c. ita nodum solvit: *Fridericum Nauclerus (atque et Mutium, aliosque) Henricum vocat, quem ego cum aliis sequi nolim, quod certiora mihi invenisse videar. Henricum ex vetustiore Burggrafiorum prosapia lego in manu scriptis non Norimbergae, sed Ratisbonae Castellatum fuisse, sed ante haec tempora.* Ego de hac re ita sentio. Distinguo scriptores in duas classes. Alii Henricum a Friderico aperte distinguunt, quod ii faciunt, qui cum Carione et Leutingero hunc illi successisse tradunt: alii non item. Posteriores, ubi talia narrant, quae et in Fridericum quadrant, Henrici nomen Friderico imposuisse, quo errore deceptos nescio, lubens concedo: motus tum claris verbis Gerardi de Roo, tum collatione locorum ex Mutio et Gerardo aliatorum. Priores errandi occasionem aliunde arripuisse suspicor.

Fortè

48 DE BVRGGRAFIATV NORIMBERGENSI.


Forte ab Henrico Duce Bavariae nomen translatum ad Burggrafium quendam. Iste tunc temporis sילו admodum frequenti vocabatur Dux Noricus. Otto certe Frisingensis sic eum semper appellat. Huic Norico duci tunc temporis nomen Henrico fuit. Sic Weingart. Chron. cap. III. p. 783. in Access. Hist. Leibniz. memorat *Henricum Ducem Noricorum*. Forte inde enatus Henricus Burggrafius Noricorum. Sed siue hanc coniecturam adprobes, siue renicias, id certum est, Henricum alia, quam Zollerana stirpe oriundum inter Burggrafios Noricos admitti non posse, salvo historiarum nexu.

§. 22. Et haec sunt, quae de primis initiis Burggrafiatus in praesenti disserere animus erat. Tota tractatione nudi historici personam me egisse confido: neque mea qualiscunque relatio ullius iuribus aut privilegiis prodesse, neque obesse poterit. Sincere exposui, quae fide auctorum et documentorum probatorum niti deprehendi. Si quid est, quod quemquam offendere possit; is illud non mea, sed auctorum et testimoniorum, quos secutus sum, culpa accidisse iudicet. Quae reliqua sunt, ea secunda dissertatione, quam primum licet, sedulo prosequar. Nunc vota ardentissima concipio pro salute Augustorum Serenissimorumque Capitum, quae in fusa Norimbergenfium Burggrafiorum in hunc usque diem splendent. Servet Burggrafios Norimbergeneses fartos, tectos, incolumes summa benignitas: dignitatem eorum contra insultus invidorum quorumvis tueatur, defendat.

Ε Π Ι Μ Ε Τ Ρ Α

- I. Tonitruum natura nondum satis est explicata.
- II. Idealistae aequae ac Egoistae Scepticis iniuria adnumerantur.
- III. Cometae non solum mali nihil, sed et boni quid nobis afferunt.
- IV. Potest aliqua differentia constitui inter amorem Dei ex toto corde et amorem Dei super omnia. Hic naturae viribus, licet corruptae, patet. Illo Deum Adamus ante lapsum dilexit.
- V. Nimis formidolosi sunt, qui ab ulla hypothese philosophi sibi timent.
- VI. Immortalitas animae ex lumine naturae nondum demonstrata est.





59742

AB 59 742

ULB Halle 3
002 411 903




SL

Vb 17

12







DE
BVRGGRAFIATV
NORIMBERGENSI

DISSERTATIO HISTORICA
PRIMVM PRO LOCO
IN
AMPLISSIMA FACVLTATE PHILO-
SOPHICA OBTINENDO

PROPOSITA
A
FRIDERICO VILELMO
STVBNER A. M.

LIPS. D. XI. OCTOBRIS clō 1ō cc XXX.

STANNO BREITKOPFIANO.

